MASTER NEGATIVE NO. 91-80216-1

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

WEHLE, WILHELM

TITLE:

OBSERVATIONES CRITICAE IN ...

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1861]

Master Negative #

91-80216-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wehle, Wilhelm, 1833-
Observationes criticae in Petronivm; dissertatio philologica qvam...1861...defendet Gvilelmvs Wehle ... Bonnae, formis Caroli Georgi, [1861].
64 p. 20½ cm.
Thesis, Bonn, 1861.

Another copy. Bonnae, Henry and Cohen, 1861, without thesis note.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/11/91 INITIALS: ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN ENTRY: wehle, wilhelm

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

______Page(s) missing/not available:

______Volumes(s) missing/not available:


______Illegible and/or damaged page(s):

______Page(s) or volumes(s) misnumbered:

______Bound out of sequence:

______Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: U. Of Penn, 25-26

______Other:









IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)



150mm

6″





PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

OBSERVATIONES CRITICAE IN PETRONIVM

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

SVMMORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XX MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXI

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

GVILELMVS WEHLE

SLESVICENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

ANTONIVS KLETTE DR PHIL.
AVGVSTVS REIFFERSCHEID DR PHIL.
GVILELMVS FISCHER STVD. PHIL.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

OTTONI IAHNIO

PIETATIS CAVSA

Quanquam reliquiae Petronianae egregium ac plane unicum locum in litteris Latinis sibi vindicant, tamen hac nostra aetate ideo opinor neglectae fere iacuerunt, quod nulla adhuc extat editio, quae certo librorum fundamento nitatur. Itaque nec ego in hoc scriptore studia mea conlocassem, nisi Otto Iahnius praeceptor optime de me meritus quae enotata habuit ex libris Petronianis insigni liberalitate in usum meum concessisset. Quibus subsidiis adiutus id mihi in hoc tenui libello proposui, ut scriptorem admodum corruptum quantum potui emendarem. Cum vero adparatus criticus, quo uti mihi licebat, non omnia fragmenta Petronii complecteretur, in universam eorum memoriam inquirere non potui nec pauca, quae editionibus feruntur, intacta mihi relinquenda erant.

Praeter coenam quae dicitur Trimalchionis peculiari librorum fide nihil operis Petroniani servatum est, nisi excerptorum delectus, quem qui olim confecit rem ita instituit, ut carmina narrationi inserta fabulasque haud ita longas ac potissimum quidem obscoenas, denique eos locos, qui vel sententiarum acumine vel declamationum elegantia vel communi quadam argumentorum utilitate animum adliciebant neglecto pleni operis consilio sibi describeret. Haec vero fragmentorum series iam pridem simili excerpendi ratione rursus in breviorem speciem redacta est, cuius hi quos infra perscripsi codices mihi praesto fuerunt:

Codex Bernensis, bibliothecae publicae, numero 357 insignitus, membranaceus, saeculi X. Non integer aetatem tulit. cf. Orellii lection. Petron. in indice scholarum Turicens. anni 1836.

Codex Messanius, membranaceus, saeculi XII. Servatur Messanae in monasterio Benedictinorum S. Placidi. In initio pauca desunt.

Codex Vaticanus, ord. N. n. 119 (670) Urbinas, membranaceus, saeculi XV.

Codex Laurentianus, plut. 97, 31 membranaceus, saeculi XV.

Hi codices, quorum antiquissimi Bernensis atque Messanius ceteris longe praestant, prorsus eadem habent excerpta. Nec rari sunt in bibliothecis libri plane eiusdem generis.

Alia ratio est codicis Traguriani, quo non solum haec excerpta continentur, sed etiam coena quae dicitur Trimalchionis, fragmentum omnium longe gravissimum, quod inter cetera vel eo excellit, quod narratio sine ulla gravi lacuna per longius spatium continuatur. Huius libri saeculi XV initio exarati, qui anno 1663 Tragurii in Dalmatia repertus primum Romam, deinde anno 1703 in bibliothecam Regiam

Parisinam translatus est, ubi numero 7989 (Reg. 5623) insignitus hodie servatur, conlatio mihi praesto erat ad exemplar Amstelodamense, quo Joannes Lucius anno 1671 codicem typis Joannis Blaeu exprimendum curavit omnibus scripturae vitiis prudenti consilio servatis ab Henrico Keilio accuratissime confecta.

Iam primum de nonnullis locis disputabo, quos ex coena tractandos mihi elegi. Sed priusquam singula persequar, de fundamento, quo emendatio nitatur, pauca monebo. Integra coena solo Traguriano servata est, duae autem particulae ex fabula illa excerptae etiam aliis libris ad nos pervenerunt. Ac primum quidem fragmentum, scilicet carmen Publilii Syri [1]), quod Trimalchio recitat cap. 55,6 ed. Anton. in omnibus excerptorum libris supra enumeratis excepto Bernensi, qui in hac parte mutilatus est, exhibetur, in Traguriano autem et in excerptis et in pleno coenae exemplari conlocatum est. Atque in excerptis quidem etiam verba, quae carmini in pleno exemplari praemissa sunt, inveniuntur, sed in brevius contracta. Iam etsi in hac diversa memoria nulla scripturae discrepantia extat, quae certo diversum fontem prodat, tamen non ab eodem homine e pleno opere Petroniano et coenam Trimalchionis et excerpta illa desumpta esse ipsa eiusdem argumenti repetitione indicari mihi videtur.

Alterum coenae fragmentum, cuius notitiam non ex libris scriptis hausi, qui mihi quidem praesto fuerint, ut primum illud iam dudum priusquam Tragurianus in lucem protraheretur editionibus pervulgatum erat; primum enim in editione Tornaesiana adparet, quae Lugduni prodiit anno 1575 [2]). Desumptum est ex coenae principio atque incipit verbis cap. 27, 1 „Videmus senem calvum“ explicit verbis cap. 37, 5 „tenebras esse credet.“ Huius particulae fontem

1) Mimographi hoc carmen esse recte statuit Moesslerus, comment. de Petron. poem. de bello civili p. 55, iniuria in dubitationem vocant Jo. Conr. Orellius, Poet. Vet. carm. sent. P. 1. p. 283, Bernhardy Grundr. d. Röm. Litt. p. 434.

2) Ipsam Tornaesii editionem inspicere non potui.

— omnes vero quas inspicere mihi licuit editiones eundem prae se ferunt — foedissime turbatum fuisse facile videbit, qui illam cum Traguriani verbis vel obiter contulerit. Nam eadem fere ratione, quae in excerptis vulgatis conspicitur, narratio saepe mutilata est, vel totis enunciatis vel singulis verbis librarii arbitrio omissis. Quod quoniam interdum eis locis factum est, ubi Tragurianus graviori vitio laborat, eisdem locis etiam exemplar unde hoc fragmentum descriptum sit, corruptum fuisse nec sine certo consilio illa resecta esse conicias. Accedit quod librarius vocabulis paullo rarioribus usitata interdum substituit. Cum hac licentia, qua in verba scriptoris grassatus est, supinam coniunxit neglegentiam. Ordinem enim verborum saepe perturbavit, in singulis autem verbis vel lenius vel gravius peccavit, quod sine dubio etiam multo saepius observare possemus, si ad ipsum scripturae fontem recurrere nobis liceret. Neque enim dubito, quin editores multa, quae quivis statim inter legendum corrigit, tacite emendaverint. Itaque eis locis, ubi Tragurianus leniter corruptus est, antiquae autem editiones veram habent scripturam certo diiudicari nequit, utrum illa ex libris hausta sit an editoribus debeatur. Nonnullis tamen locis manus scriptoris servata est antiquis editionibus. Sic cap. 30, 2 recte habent „G. Pompeio Trimalchioni" et paullo infra „G. noster"; Tragurianus perperam „C. N. Pompeio Trimalchioni" et infra „c u m noster". Porro Tragurianus haud raro ut postea videbimus unum duove vocabula omittit eoque vitio etiam in hac de qua agimus coenae particula laborat. Locos ita corruptos, quos emendare licet veterum editionum auxilio, adscribere iuvabit. Cap. 28, 8 in Traguriano scriptum est: „stabat ostiarius . . . atque in argentea pisum purgabat." Substantivum, quod desideratur, in editionibus, quae „in l a n c e argentea" habent, recte additur. Cap. 33, 2 „Notavique rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim ac nigris aureos argenteosque habebat" — scil. tabula — „denarios." Ita Tragurianus; editiones „a l b i s a u t nigris." Patet partem verae scripturae, quae haec est „a l b i s a c nigris" in utroque testimonio positam

esse. Quod etiam cap. 33, 3 observare licet, ubi haec leguntur: „Repositorium allatum est cum corbe, in quo gallina erat lignea patentibus in orbem alis quales quae incubant ova." Sic Tragurianus; editiones veteres „quales s o l e n t e s s e quae incumbunt ova." In quibus perperam scriptum est „incumbunt", optime vero additur „solent esse"... cf. cap. 34, 4 „Subinde intraverunt duo Aethiopes qumultis s o l e n t e s s e, qui arenam . . . spargunt." Denique riptio pertinet locus, quem infra perscripsi cap. 27, 5 „Etianornum Menelaus loquebatur, cum Trimalchio lautissimus homo digitos concrepuit" e. q. s. Haec in antiquis editionibus vulgantur; vocabula „lautissimus homo" in Traguriano desunt. Quae fortasse nomini Trimalchionis, qui in lacero illo editionum fragmento hoc loco primum commemoratur, ab interpolatore addita sunt[1]) ex verbis, quae paullo ante-

---

1) Video vocabula „lautissimus homo" iam C. Barthio, advers. XXI, 6 suspecta fuisse, nescio quam ob causam; certe verba ex capite 26, 9 adlata nondum potuit in disceptationem vocare, cum illud adnotavit. Nimirum vix credibile mihi videtur, eum quo tempore Tragurianus nondum inventus erat, plenius vel etiam integrum coenae exemplar habuisse, quanquam ut in aliis scriptoribus sic etiam in Petronio novas ac plane singulares scripturae discrepantias ex „codicibus suis" aliquoties profert. Tales scripturas repperi advers. XIII, 5 „interim dum ille o f f i c i u m sectorum inter lusum consumit" cap. 33, 3. XXI, 6 „s a c r u m ante cryptam" cap. 16, 3. XXIII, 11 „sidus currit u t r i m q u e" cap. 119. Fateor his paucis exemplis, quae longius persequi nolo, certo quidem demonstrari non posse, Barthium novas scripturas ipsum finxisse, sed fidem eius inde in suspitionem vocare eo minus dubito, quo certius ab aliis demonstratum est, quam licenter ubique fere in his rebus egerit. Hac data occasione non possum Bourdelotium non commemorare, qui in editione sua Parisiis anno 1618 emissa summa impudentia ut codicum scripturas proponit, quas ipse arte et ratione prorsus destitutus excogitavit. Quod ne severius iudicasse videar, exempla adferam, ex quibus fraudem luce clarius perspicere poteris. Commentarium Bourdelotii perlustranti statim suspectum videbitur, quod corruptissimis locis, in quorum scriptura omnes codices vel consentiunt vel ita inter se discrepant, ut necessitudo quaedam adpareat vitiorum, ex libris suis inventa quaedam promit, quae a vulgata memoria mirum in modum recedunt. Huius rationis notabile dedit exemplum in nota illa de vidua Ephesia fabula cap. 111, 10

cedunt cap. 26, 9 „Trimalchio, lautissimus homo, horologium in triclinio et buccinatorem habet.“ e. q. s. Sed ut

„Non recessit tamen miles, sed eadem exhortatione tentavit dare mulierculae cibum, donec ancilla vini certe ab eo“ — „nectareo“ in-iose coniecit J. Fr. Gronovius, observat. in scriptor. eccles. p. 115 dore corrupta primum ipsa porrexit ad humanitatem invitantis“ corrige „invitanti“ — „victam manum“. Verba depravata „vini certe ab eo odore corrupta“ omnes mei excerptorum codices habent eademque scriptura ex libro quodam adnotatur, qui Pithoeo praesto erat. Neque dissimiles sunt discrepantiae apud Joannem Sarisberiensem, qui totam hanc fabulam ad verba descriptam Policratico suo VIII, 11 inseruit. Nam in ordine verborum legitur: „humi certum habeo odore“. in margine „incertum habeo an vini odore“, quod haud dubie correctoris manus refinxit. Nec minus arbitratu suo egit librarius, qui in codice quodam Tornaesiano verba corrupta omisit. Iam quid dices de Bourdelotio, qui in codicibus suis scriptum fuisse narrat „vici citi“, unde emendat „ancilla vini cibique ab eo odore corrupta“? Monstrosa profecto emendatio, cuius fundamentum ipsi Bourdelotio tribuere non dubitabis, modo alios locos ab eo temptatos examinaveris. Multum exercuerunt viros doctos, quae cap. 114, 4 ita corrupta feruntur: „Itaque Hercules postquam manifesta convaluit, Lycas trepidans ad me supinas porrigit manus“ e. q. s. Haec verba, quorum corruptela, ut hoc in transcursu moneam, latius patet, quam editores viderunt, nam etiam illud „Hercules“ removendum est, nemo adhuc sanavit nec quisquam sine meliorum codicum auxilio unquam puto restituet. Quid Bourdelotius? „Emendationem“, inquit, „huius loci debemus Mss. Codd.: „Postquam spes omnis evolavit“. Ut taceam de mira illa diversitate, quae inter hanc scripturam atque vulgatam intercedit, tumido illo atque inepto: „spes omnis evolavit“ fraus perspicue notatur. Itaque rectissimo sensu ductus iam Petrus Burmannus hoc loco primus Bourdelotii fidem addubitavit. Unum adiciam idque luculentissimum exemplum. Cap. 140, 14 haec vulgantur: „Socrates deorum hominumque iudicio sapientissimus gloriari solebat“ e. q. s. Verba „iudicio sapientissimus“ in libris, ut editores referunt, non extant, sed sola coniectura Iani Rutgersii var. lect. VI, 8 nituntur. Post Rutgersium autem Bourdelotius mira felicitate usus eadem verba in codicibus suis repperit, quos Pythiae de Socrate oraculum secutos esse festive animadvertit. Ex libris autem eiusdem generis haud dubie singulares illas scripturae discrepantias protraxit, quas infra posui diductis litteris expressas: cap. 4, 2 „pueris induunt adhuc innocentibus“. cap. 7, 3

multa in hac editionum parte incertae sunt originis, ita fortasse non omnia quae recte se habent, librorum fide nituntur.

Vidimus igitur, ex eis libris, quibus particulae illae ex coena desumptae continentur, si pauca exceperis nihil ad coenae emendationem redundare, ita ut solum eius fundamentum repetendum sit e codice Traguriano. Qui quam graviter temporum iniurias expertus sit hoc loco multis exponere nolo. Etenim cum accurata codicis descriptio a consilio huius libelli aliena sit, ea tantum data opportunitate adnotabo, quae ad emendationes spectant a me propositas. Ut vero paucis meum de indole eius iudicium complectar, a stupido librario ex libro iam admodum corrupto neglegentissime descriptus est nec ulla corruptelarum genera non habet, quae solent noviciis codicibus inesse.

Restat ut de critico quodam instrumento exponam, quod nomine fertur veteris glossarii Petroniani; adtingit enim inter alia fragmenta, quae relata sunt in editiones ante repertum Tragurianum emissas etiam decem illa coenae capita, de quibus modo disserui. Ac primum quidem in hoc glossarium incidi in vasta commentarii Burmanniani farragine, ubi quasi summae sit auctoritatis inter editorum aliorumque adnotationes primo loco ponitur. Talem vero auctoritatem disertis verbis illi vindicat Orellius, lection. Petron. p. 17, cui cum coniectura quaedam Verburgii primo obtutu haud displicuisset, mox glossae ei scrupulum moverunt. „Obstant“, inquit, „glossae, quarum cum satis antiquae sint, summa in Petronii κρίσει est auctoritas.“ Longius etiam Studerus progressus est. Is enim in egregia commentatione „Ueber das Zeitalter des Petronius Arbiter“ Nov. Mus. Rhenan. vol II. p. 50 sq. 202 sq. inserta

„inter angulos“. c. 27, 6 „exonerata illa vesica“. cap. 28, 9 „pica vario intrantes salutabat“. cap. 34, 7 „verum esse Opimianum praesto“. cap. 82, 5 „qui postquam conturbavit omnia“. cap. 109, 5 epulae ob certamen prolatae“. cap. 110, 5 flavicomum corymbion“. cap. 114, 8 „Gitoni applicitus“. cap. 133, 1 „vacua pudicaque nocte“.

glossarium illud, cuius fidem ut satis probatam praedicat, non solum saepius ad partes vocat, sed pag. 207, ubi de coniectura quadam agit ab Ignarra, de palaestra Neapolitan. p. 182 sq. proposita, qui coloniam apud Petronium commemoratam Neapolim esse miro errore sibi persuasit, non dubitat ita iudicare: „Eine positive Stütze erhält aber Ignarra's Ansicht noch durch eine weder von ihm noch von Janelli beachtete Glosse des Glossarium Petronii, welches Kap. 81 zu den Worten 'graecae urbis' erklärend beifügt: 'Neapolis'. Est ist dieser Glosse um so mehr Gewicht beizulegen, als aus einigen Anzeichen wahrscheinlich wird, dass der Verfasser des Glossarium einen vollständigeren Text des Petronius besass und daher Manches über den Zusammenhang der Begebenheiten wusste, was uns jetzt wegen des fragmentarischen Zustandes des Ganzen unverständlich ist. vgl. die Glosse zu den dunklen Worten Kap. 9 gladiator obscoene, quem de ruina arena dimisit (besser: quem de arena ruina dimisit)". Vides, quanti aestimaverint viri docti vetus illud glossarium, quod si re vera esset tanti momenti, in summa subsidiorum criticorum penuria nihil hac adcessione exoptatius nobis contingeret. Sed res aliter cecidit atque sperabam. Nam ubi glossarium illud perlustrare coepi, fusa eius verborum rerumque enarratio in scholiorum modum composita, quae ab usitata glossarum ratione abhorret, statim permira mihi videbatur, res autem quarum subinde mentio fit gravissimam de antiquitate eius suspitionem mihi moverunt. Ut uno exemplo defungar, quid dices de hac glossa, qua de vocabulo „scriblita" cap. 35, 4 agitur: „*ἀπὸ τοῦ στρεβλεῖν*, Torquere, ideo quod in circuitu torqueantur restis in modum, unde nos t o r t a m dicimus." Bella profecto antiquitatis vestigia! At non opus est, talia persequi. Nam ut statim dicam quomodo res se habeat, glossarium illud, quod in editione Rutgeri Hermannidis Amstelodami anno 1663 emissa deprehendi, nihil est nisi congeries satis vilium explicationum ad res et verba scriptoris spectantium simplicissimo consilio ex commentariis priorum editorum compilata.

Longe enim plurima ex adnotationibus Erhardi, sive qui sub hoc nomine latet Goldasti, qui Petronium edidit Helenopoli (Francofurti) anno 1610 vel ad verba descripta sunt vel leniter ita reficta, ut statim eundem fontem agnoscas, alia compilator sumpsit ex commentario Wouwereni, qui prodiit Lugduni Batav. anno 1596, pauca denique de suo videtur addidisse[1]). Iam quaeritur quis ille fuerit, cuius opus viris doctis tam mirum in modum imposuit. Atque Studerus, qui Bourdelotium primum eius editorem dicit, vel a Fabricio[2]) deceptus est vel hoc titulo satis ambiguo, quem Hermannides inscripsit editioni suae: „Petronii Arbitri Satyricon eiusdemque fragmenta illustrata hac nova editione J. Bourdelotii notis criticis et glossario Petroniano. Repurgante singula et accurante Rutgero Hermannide." Proximum quidem est, etiam verba „glossario Petroniano" cum nomine Bourdelotii coniungere, cuius notae criticae hic illic refictae et abbreviatae Hermannidis editione repetitae sunt, sed primum vasta illa et indigesta eruditio, quam Bourdelotius ubique ostentare amat, in hoc glossario prorsus desideratur, deinde, id quo res conficitur, in Bourdelotii editione, quae Parisiis prodiit anno 1618 huius glossarii nec vola nec vestigium extat. Verum haud dubie ab Hermannide primo eius editore confectum est, licet ipse de hac re ne verbum quidem moneat. Nimirum a se impetrare non potuit, ut Petronium suum Bourdelotii copiis exornatum sine ullo suae doctrinae sollertiaeque specimine

---

1) Unum huius compilationis exemplum adponam. De scaro pisce, cuius apud Petronium bis cap. 93, 2 et 119 mentio fit, glossator haec adnotavit, quae tanquam vetus testimonium ad Ennium spectans laudantur a Petro Burmanno ad Antholog. Latin. I, 590 et Vahleno Ennian. poes. rel. pag. 167: „Piscis nobilissimi genus, mari Carpathio frequens. 'Cerebrum Iovis' dictus ab Ennio." Desumpta sunt ex Goldasti adnotatione ad cap. 119. Verba Enniana leguntur apud Appuleium de magia cap. 39.

2) Parum enim accurate, ut mox demonstrabo, Fabricius bibliothec. Latin. ed. Ernesti II, p. 156 haec refert: „Cum notis eruditis et glossario Jo. Bourdelotii prodiit Paris. 1618. 12. 1645 et 1677, 12".

emitteret. Itaque commentariolum illum scripsit, quo primum fortasse eruditionis documentum dedit. Ipse enim in praefatione editionis suae narrat, se „ante aliquot annos inter tremulas adhuc adolescentiae lucubratiunculas suppresso nomine“ Petronium edidisse. Iam vero cum Ebertus, Bibliograph. Lexic. II p. 371 Petronii editionem quandam referat, cuius hic titulus est: „Petronii satyricon eiusdemque fragmenta illustrata hac nova editione J. Bourdelotii notis criticis et glossario Petroniano. Edente Di. S. S. L. B. Justus Livius 1645“, nemo puto dubitabit, quin sub ficto illo nomine litteris tantum significato Rutgerus Hermannides lateat. Ceterum nihil est, quod fraudem illum agere voluisse suspiceris, immo optima fide libellum suum fabricatus est. Inspicias modo, ut alia praetermittam, qua ratione instituerit glossarium suum. Inscriptum est „Glossarium Petronianum“, deinde haec admonitio adiecta est: „Asteriscus inexplicabilia; prior numerus paginam, posterior lineam monstrat.“ Iam sequuntur, quae enarranda sibi sumpsit secundum litterarum ordinem disposita. Haec ratio profecto non eius est, qui fucum alicui facere sibi proponit. Sed, audio te quaerentem, quomodo tandem factum est, ut viri docti in tam mirum errorem inciderint? Id quidem probabili coniectura adsecutus esse mihi videor. Nam Petrus Daniel in notis suis, quibus Petronium inlustravit, passim fragmenta eius laudat ex antiquis glossariis deprompta — cf. pag. 88 — quorum confusa quaedam recordatio effecisse videtur, ut quis Hermannidis glossarium iusto neglegentius pro antiquo haberet aliique nimis creduli hanc opinionem sequerentur. Ceterum quis ille fuerit, qui primus se decipi passus sit, certo explorare mihi non contigit nec magni momenti est. Vereor autem, ne ceteris praeiverit Petrus Burmannus.

Primus locus de cuius scriptura disputabo cap. 30, 10 extat, ubi haec leguntur: „Non tam iactura me movet, quam negligentia nequissimi servi. Vestimenta mea cubitoria perdidit, quae mihi natali meo cliens quidam donaverat, Tyria sine dubio, sed iam semel lota“. Iusto audacius Pontanus ad Macrob. saturn. VI, 1 coniecit „Tyria

sine eluvie“, Marklandus ad Stat. silv. III, 2, „Tyria sane dibapha“, sed rectissime senserunt, aliquid desiderari, quo cuius generis cuiusque pretii essent Tyria illa significaretur. Itaque suspicor Petronium scripsisse: „quae mihi . . . cliens quidam donaverat, vera Tyria sine dubio, sed iam semel lota“. Sic demum intellegitur, quid illud „sine dubio“ sibi velit, in quo illi iure haerebant. cf. cap. 34, 7 „verum Opimianum“. cap. 50, 3 „vera Corinthea“. Editiones ante Tragurianum repertum curatae hunc verborum ordinem habent, quo via genuinae scripturae restituendae prorsus nobis intercluditur: „quae mihi natali meo donaverat cliens quidam“. Quam facile autem „vera“ vocabulum inter „donaverat“ et „Tyria“ intercidere potuerit in oculos incurrit. Ceterum coenae librarius in verbis singulis pluribusve omittendis non raro erravit, quod corruptelae genus cum editores non satis adtendissent, saepius a recta emendandi via prorsus aberrarunt. Locos qui huc pertinent a viris doctis iam probabiliter correctos adponam, exceptis eis quos supra iam protuli ex coenae initio. Cap. 36, 7 „suspicatus [ad] aliquam urbanitatem“. Editiones veteres „ad“ recte habent ex coniectura puto repositum. Cap. 37, 1 „sciscitari[que] quae esset mulier“ Cap. 46, 5 „Nec haec sua [culpa] non debemus“. Cap. 46, 5 „Nec uno loco consistit, sed venit dem litteras, sed non vult laborare“. Sic Tragurianus; „sed venit [abit, scit qui] dem litteras“. (?) Cap. 57, 6 „ne quis in illius [sinu] manus tergeret“. Cap. 77, 4 „hospitium hospites capit“. Intercidit numerus aliquis velut „C“, ut etiam cap. 52, 1 in his verbis „habeo scyphos urnales plus minus quemadmodum“. Cap. 72, 4 „et Trimalchionem . . . subsequi [coepit“]. Accedit quod etiam in Traguriani excerptis, quae idem coenae librarius scripsit, saepius unum duove vocabula in ordine verborum desiderantur atque eis quidem locis, ubi omnibus ceteris excerptorum libris plena orationis forma nobis servata est. Huius socordiae insignia exempla, nam leviora omitto, infra habes: cap. 4, 2 „in forum impellunt [et eloquentiam] qua nihil“. Cap. 6, 4 „quae [agreste] olus vendebat“. Cap. 111, 6 „ne quis ad sepulturam [corpus] detraheret“. Cap. 134, 6 „coepit

emiare [donec] intervenit". Patet litterarum similitudinem, qua librarius deceptus sit, in his exemplis ubique fere abesse, ut nihil restet, nisi ut errorem ex supina eius neglegentia repetas.[1])

Cap. 36, 3 „Notavimus etiam circa angulos repositorii Marsyas IIII, ex quorum utriculis garum piperatum currebat super pisces, qui in Euripo natabant." Sic editiones veteres, quas viri docti temere secuti sunt, Tragurianus „quiq, Euripo" id est secundum Keilium „quicunque Euripo" quae scriptura quamvis corrupta sit, tamen manum scriptoris multo minus quam altera a correctore illa reficta oblitteravit. Hoc enim scriptor sine dubio dicere voluit, garum illud tanta copia in fundum patinae defluxisse, ut pisces in ea positi plane viderentur in Euripo natare, ut quasi in Euripo natarent. Itaque ex Traguriani vestigiis reponendum est: „qui tanquam in Euripo natabant."

Cap. 37, 6 libertus quidam de Fortunatae Trimalchionis uxoris moribus lepide ita hariolatur: „haec lupatria providet omnia et ubi non putes est, sicca, sobria, bonorum consiliorum. Tantum auri vides. Est tamen malae linguae, pica pulvinaris" c. q. s. Quid lateat in voce corrupta „lupatria," unde quod Reinesius effecit „cupatria" iniuria adsensum tulit editorum, probabili coniectura adsequi mihi non contigit. Altera vero difficultas, quae non minora negotia exhibuit viris doctis, in verbis „tantum auri vides" posita est, quibus conexus orationis mirum in modum interrumpitur. Nam argutius sane Studerus, observ. crit. in Petron. coenam Trimalch. p. 10 haec verba interposita putat a librario transitum ad ea paraturo, quae vituperanda putaret, quasi haec diceret: „Eo usque aurum est quod vides, sed neque scoriae desunt, quibus virtutes illae contaminentur." Ut statim dicam, quid de his verbis sentiam, sana

1) Cap. 32, 4 „Et ne has tantum ostenderet divitias, dextrum nudavit lacertum armilla aurea cultum et eboreo circulo lamina splendente connexum". Fortasse reponendum est: „c[o n e x i s". Interpretes tacent quasi omnia recte se habeant.

sunt atque temere a viris doctis vel mutata vel transposita. Nihil prorsus obscuri restabit, modo statueris verbis „tantum auri vides" interrogationem inesse atque post vocem „vides" nonnulla intercidisse, quibus Fortunatae laudibus aliquid additum sit. Tum recte particula adversativa oratio continuabitur: „est t a m e n malae linguae." Ac nisi fallor libertus praedicavit matrisfamiliae diligentiam ac vigilantiam, qua usa sit in auro quod in mensa adpositum erat conquirendo atque servando, id quod suspicari licet ex eis, quae infra cap. 67, 2 de Fortunata in transcursu dicuntur: „Nisi argentum composuerit . . . aquam in os suum non coniciet." cf. cap. 73, 5 „in aliud triclinium deducti sumus, ubi Fortunata disposuerat lautitias suas . . . mensas totas argenteas calicesque circa fictiles inauratos." Interpunctio autem a me proposita egregie eo confirmatur, quod hic ipse libertus studio quodam conspicuo interrogationibus utitur, quarum nonnullis eodem modo vocabulum „vides" continetur. cf. cap. 36, 8 „V i d e s illum qui obsonium carpit?" cap. 38, 5 „V i d e s tot culcitas?" cap. 38, 7 „V i d e s illum, qui in imo imus recumbit?" Ceterum quam feliciter Petronius hominum mores atque ingenia expresserit etiam ex hac re minuta perspicitur, quod homines plebeii, qui partes agunt in hac lepida fabula, voces quasdam vel locutiones, quas in deliciis habent, semper semperque repetunt.

Cap. 38, 7 „Vides illum, qui in imo imus recumbit? Hodie sua octingenta possidet, de nihilo crevit, solebat collo modo suo ligna portare." Nemo non videt oppositionem, quae inter particulas „hodie" et „modo" intercedit, coacta et impedita particulae „modo" conlocatione prorsus obscurari atque hunc verborum ordinem unice verum esse: „Modo solebat collo suo ligna portare." cf. cap. 46, 8 „Modo modo collo suo circumferebat olera venalia, nunc etiam adversus Norbanum se extendit." Saepius genuina vocabulorum conlocatio in Traguriano turbata est, velut cap. 46, 1 „quid iste argutat molestus? quia tu qui potes loquere non loqui." Quae etsi Schefferus iam dudum correxit verbis ita transpositis „qui potes loqui, non loquere," tamen activam formam „loquere" prorsus nihili esse lexicographis non per-

suasisse videtur[1]). Similiter in Traguriano scriptum est cap. 31, 11 „fuerunt et tomacula super craticulam ferventia argenteam posita" pro „tomacula ferventia s. cr. a. p.," quod Antonius reposuit; cap. 59, 3 „cum Homeristae Graecis versibus colloquerentur, ut insolenter solent, ille canora voce Latine legebat librum" pro „ut solent, ille insolenter c. v. L. l. l" quod Nicolaus Heinsius restituit. His exem-

---

1) Haud pauca vocabula Petroniana, quae foedissime corrupta sunt, a lexicographis atque imprimis a Klotzio sine ullo scrupulo tanquam satis probata proferuntur, contra frustra quaeras, quae viri docti certissima ratione restituerunt. Cuius quidem generis duo luculenta exempla proponam e sermone vulgari petita. Cap. 45, 5 in Traguriano haec scripta sunt: „Et Titus noster magnum animum habet et est c a l d i c e r e b r i u s, aut hoc aut illud erit". Ne una quidem littera mutata „c a l d i c e r e b r i u s" id est „calidi cerebri" Petronio restituendum esse Heinsius vidit, verum idem vocabulum etiam cap. 58, 4 ex corruptis Traguriani vestigiis resuscitare neglexit. Hoc quidem loco, ubi Tragurianus haec habet: „Vix me teneo et sum natura c a l d u s c i c e r e i u s" Jahnius veram scripturam restituit simulque „n e c s u m" correxit, qualem negationem et sententiae conexus requirit et quae hic ipse libertus de indole sua profitetur cap. 57, 3 „Non me Hercule soleo cito fervere". Eadem ratione alterum quoque vocabulum duobus locis similiter corruptum proditur, quorum primus cap. 62, 2 legitur: „Nactus ego" — e r g o ? — „occasionem, persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad quintum milliarium veniat; erat autem miles fortis tanquam Orcus a p o c u l a n i u s nos circa gallicinia". Doctam Heinsii coniecturam „Orcus P a c u v i a n u s" iniuria nuper Prellerus, Römische Mytholog. p. 454 rursus protulit, nam profecto minime probabile est, simplicem libertum de Pacuvio poeta quidquam audivisse. Aliam igitur viam Reinesius ingressus est, qui „a p o c u l a m u s" id est „ex oculis nos removemus, discedimus" scribendum esse dubitanter coniecit. At hoc invento nihil certius esse demonstrant quae cap. 67, 2 leguntur: „Sed narra mihi, Gai, rogo, Fortunata quare non recumbit? Quomodo nosti illam, inquit Trimalchio", — ita haec verba interpungenda sunt; vulgata distinctio inepta est, ut multae aliae huic scriptori ab editoribus obtrusae — „nisi argentum composuerit, . . . aquam in os suum non coniciet. Atqui, respondit Habinnas, nisi illa recumbit, ego me a p o c a l o". Hunc locum cum altero comparasse atque „a p o c u l o' inde reposuisse Schefferi meritum est. cf. Reisk. Miscellan. Lipsiens. nov. vol. VI, p. 507.

plis unum nondum correctum adiciam, quod cap. 28ep-ita Traguriano proditur: „Cum ergo auferretur, ad caput eius cum minimis symphoniacus tibiis accessit." In promptu est, intricatum verborum ordinem ita expedire: „ad caput eius symphoniacus cum minimis tibiis accessit." Gravius huius generis vitium cap. 33, 1 legitur, quod etsi iam dudum sanatum est, tamen cum de aliorum locorum scriptura certius inde iudicari possit, adscribere operae pretium erit. Ibi igitur in Traguriano haec exhibentur: „amici, inquit, nondum mihi suave erat in triclinium absens more vobis venire sed ne diutius absenti vos essem voluptatem mihi negavi." De quibus quae Nicolaus Heinsius vir de Petronio egregie meritus adnotavit hic inserere mihi liceat. „Haec," inquit, „conturbata sunt; scribe: 'Nondum mihi suave erat, in triclinium venire, sed ne diutius a b s e n t i v u s' — vel 'absens' — morae vobis essem, voluptatem omnem mihi negavi.' 'Absentivus' ut 'vocativus' in vita Alexandri Severi apud Spartianum cap. XIV, monente Salmasio et 'iacentivae arbores' in legibus Longobardorum." Rectissime Heinsius et ordinem verborum et „absentivus" vocabulum revocavit, cui me iudice non debebat tritum illud „absens" dubitanter substituere. Nihil enim in Traguriani exemplo abundat uno excepto „absens" vocabulo — „omnem" veteres editiones addunt — idque sine dubio librarii alicuius additamentum est voci rariori „absentivus" adscriptum. Eadem ratione glossa in verba scriptoris cap. 44, 8 irrepsit: „In curia autem quomodo singulos vel pilabat tractabat," quae Schefferus ita scribi voluit: „quomodo singulos vah! pilabat" eiecto „tractabat" tanquam vocis „pilabat" interpretamento. Sed multo simplicius est, hunc locum sic corrigere: „quomodo singulos pilabat!" verbis „vel tractabat" deletis, quae „pilabat" vocabulo aut superscripta erant, aut ex margine, quae in Traguriano saepius talia exhibet, in ordinem verborum inlata sunt. Neque in libro illo alia exempla desunt, quae eadem corruptela tam manifesto adfecta sunt, ut neminem fugere possint. Sic cap. 33, 5 haec leguntur: „temptemus tamen num adhuc sorbilia sunt" — scil. ova — [„sorberi possunt"]; cap. 63,5 „qui valebat

t] bovem iratum tollere.“ „Bovem“ Reiskius emendavit; Tragurianus „Iovem.“ cf. cap. 25, 6 „Hinc etiam puto natum proverbium illud dicatur ut posse taurum tollere, quae vitulum sustulerit.“ Verba „dicatur ut“ quae editores transponere satis habuerunt, secludere non dubito. Haec simplex interpolatio quemadmodum paullatim latius progressa sit ex codice Messanio perspici potest, in quo male correctum est: „dicatur ut p o s s i t.“ Cap. 74, 10 „Trimalchio contra confusus [offensus] convicio.“ Nondum persanata est Traguriani scriptura cap. 29,6 „Praesto erat Fortuna cornu abundanti copiosa et tres Parcae aurea pensa torquentes.“ In quibus „abundanti“ expungendum esse Goesius vidit, sed quae tum evadit orationis forma nimis artificiosa mihi videtur, quam ut eam Encolpio simpliciter loquenti tribuam. Scribere malim: „Fortuna c u m cornu c o p i o s o.“ Porro talis interpolatio cap. 58, 2 invecta mihi videtur, ubi libertus quidam, cuius oratio conviciis vere rusticis abundat, Gitonem puerum procacem his verbis increpat: „Quid faciat crucis offla, corvorum cibaria?“ Quae quotiescunque legi, valde mihi displicuit illud „corvorum cibaria“ quo sententia reconditi illius maledicti „crucis offla“ simpliciter expressa moleste iteratur. Itaque haec verba eicienda puto. Ac maxime vereor, ne eadem suspitio de his Trimalchionis verbis valeat, quae viri docti frustra temptabant cap. 52, 2 „Habeo capidem quam“ — Tragurianus „quas“ — „reliquit patronorum meus, ubi Daedalus Nioben in equum Troianum includit“. Iam si memineris, Trimalchionem patronum suum magnis laudibus efferre gratoque animo persequi — cf. cap. 39, 4; 76, 2. — facile puto conicies, illum dixisse „quam reliquit p a t r o n u s p a t r o n o r u m“ vel inverso ordine, quem praefero „p a t r o n o r u m p a t r o n u s“, glossam autem his verbis adscriptam „p a t r o n u s m e u s“ turbae ansam dedisse. Sic cap. 37, 8 Trimalchionis fundi „nummorum nummi“ dicuntur, quae verba viri docti sine ulla causa corrupta putabant. Hoc enim dicere vult libertus, fundos Trimalchionis optima eius bona sse, nusquam posse pecuniam eius melius tutiusque con-ri. Nec possum hoc loco praetermittere, quae cap. 43, 8

leguntur: „Et quot putas illum annos secum tulisse? septuaginta et supra; sed corneolus fuit; aetatem bene ferebat, niger tanquam corvus. Noveram hominem o l i m o l i o r u m, et adhuc salax erat.“ Coniecturis quales hae sunt „olim mulierarium, molitorem, molliorem“ frigida eiusdem sententiae iteratio infertur, optime vero de hoc loco Orellius disputavit lect. Petron. p. 5. „Sanum“, inquit „hoc puto . . . Agnosco sermonem plebeium. Etenim quasi ‘olim’ nomen esset declinabile, ei commodat garrulus genitivum neutr. plur. ‘Olim oliorum’ est ante permultum tempus, per multos annos. Compares Francogallorum *à la fin des fins.* Simili constructione cap. 37 ‘nummorum nummos’“. Mihi quidem Orellius hanc sententiam probavit, sed prorsus necessarium est, verba illa leniter ita refingere: „olim o l i m o r u m.“[1])

Cap. 42, 2 „Nec sane lavare potui, fui enim hodie in funus. Homo bellus tam bonus, Chrysanthus animam ebulliit; modo modo me appellavit“ c. q. s. Iterata particula „tam“ correxerim: „Homo t a m bellus tam bonus, Chrysanthus animam ebulliit.“ Vulgata enim scriptura nescio quid ingrati atque incommodi habet, quanquam hoc fortasse magis ad sensum recurrit. Certius vero eadem ratione haec verba emendari possunt, quibus cap. 111, 3 obstinata viduae Ephesiae pertinacia describitur: „Sic afflictantem se et mortem inedia persequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui; magistratus ultimo repulsi abierunt.“ Ita tradita sunt et excerptorum libris et apud Ioannem Sarisberiensem Policrat. VIII, 11. Sed quoties-

---

1) Dubitanter interpolationum exemplis modo adlatis addo quae cap. 34, 4 leguntur „Subinde intraverunt duo Aethiopes . . . quales solent esse, qui arenam in amphitheatro spargunt“. Id quidem mihi quisque concedet, verba „in amphitheatro“ admodum otiosa esse. Cap. 35, 7 „Suadeo, inquit Trimalchio, coenemus; hoc est in coenae.“ Ita Tragurianus; ‘vetus’ codex Brittannicus a Palmerio aliisque hic illic commemoratus „hoc est ius coenae“, quae discrepantia fortasse nihil aliud est nisi interpolatio alterius interpolationis. Nimirum librarius in margine adnotaverat: „hoc est i n i t i u m coenae“. Hanc scripturam iam Reiskius reposuit, sed de interpolatione non cogitavit.

cunque ad hunc locum reverti, permirum mihi videbatur, quod non viduae parentes ac propinqui, ut in re tam gravi fas erat, sed alienae personae, magistratus scilicet, *ultimo* abiise dicebantur. Olim puto scriptum fuit: „mortem inedia persequentem non parentes potuerunt abducere, non propinqui, *non* magistratus“. Iam de omnibus in universum additur: „ultimo repulsi abierunt“ Particula „ultimo“ idem valet atque 'tandem, denique'. cf. cap. 20, 8. 21, 2. 67, 6. 69, 5. 139, 3.

Cap. 44, 4 „O, si haberemus illos leones, quos ego hic inveni, cum primum ex Asia veni. Illud erat vivere. Similia Sicilia interiores et larvas sic istos percolopabant, ut illis Iupiter iratus esset“. Difficillimum hunc locum, cuius emendatio viris doctis admodum infeliciter cessit [1]), etsi ita restituere non possum, ut nulla dubitatio relinquatur, tamen viam invenisse mihi videor, qua sola erui possit genuina scriptura. Ac primum videamus quomodo progrediatur narratio. Queritur Ganymedes libertus de annona adsidua, cuius molestiam omnes eo gravius sentiant, quo impudentius pistores cum aedilibus conludant. „O“, inquit, „si haberemus illos leones, quos ego hic inveni, cum primum ex Asia veni“. Quo adpellatio „leones“ spectet cum per se manifestum est tum ipse libertus infra significat, ubi de aedile illo iam antea vituperato: „Sed si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret; nunc populus est domi leones, foras vulpes“. Vides vocabulo „leones“ eos signi-

---

1) Tilebomius — Mentelius — coniecit: „*Similes* Sicilia interiores larvas sic *perdespuebat*“. Schefferus: „Similia Sicilia *interior. Sed* larvas sic istas *perite aptabant*“. Goesius: „Similia *Siciliae interioris*“. Reiskius in altera edit. Burmann.: „Similia *in* Sicilia. *terrores et* larvas sic istos *percolaptabant*“. cf. Miscell. Lips. nov. VI p. 284. Iacobs, specim. emendat. in auct. vet. pag. 87: „*Simili siccitate fures et* larvas sic istos *percolaphabant*“. Oriollius, in T. Petron. Arbit. fragm. Tragurian. notulae, Bononiae 1823 p. 17, ut Goesius, additis duabus coniecturis eiusdem generis. Studerus, observ. critic. in Petronii coen. Trimalch. p. 12. „*Simile ac si celum in terra esset.* Larvas sic istas *percolaphabant*“.

ficari, qui non omnia aequo animo patiantur, sed fortiter ac strenue se ab iniuriis defendant. Iam vero qui verba illa corrupta accuratius perlegerit non potest non quaerere quae tandem larvae istae sint, de quibus loquitur libertus. Hoc vocabulum cum in eis quae praecedunt non habeat quo referatur, necessario consequitur in vitiosa scriptura personas latere, ad quas convicium illud pertineat. Quosnam autem libertus tetigerit e conexu orationis facillime divinari potest; liquet enim illum aut ad pistores aut ad aediles respicere, quorum insolentiam paullo antea reprehendit. Ac nisi omnia me fallunt, in vocis corruptae „interiores“ terminatione vestigia vocabuli „*pistores*“ adparent. Iam quaeritur quid ille narrare potuerit de pistoribus, quos hic perstringi mihi aliquantisper largiaris. Non potuit profecto aliter loqui, nisi in hunc fere modum: 'Cum primum ex Asia veni, in hac colonia *similis generis* pistores fuerunt, a quibus populus eodem fere modo atque nunc vexabatur. Id autem non impune eis cessit, nam male vapulabant'. Cuius quidem sententiae indicium nobis relictum est in vocabulo „Similia“, quod incorruptum puto. Manifestum autem mendum in voce „Sicilia“ latet, cuius commemorationem huc prorsus non adtinere cum plurimi editorum non perspexissent, fieri non potuit quin frustra operam consumerent. Ne multis te morer, qui mihi concedet librarii neglegentia duas voculas intercidisse, id quod in codice Traguriano facillime fieri potuisse exempla supra adlata ostendunt, quibus alia mox adiciam, is non dubitabit totum hunc locum ita mecum constituere: „O, si haberemus illos leones, quos ego hic inveni cum primum ex Asia veni. Illud erat vivere. Similia *scelera* [*tunc erant*] *inter pistores*, *sed* larvas sic *istas percolaphabant*, ut illis Iupiter iratus esset“. Temporis significationem, quam duabus voculis insertis restitui, prorsus necessariam esse conexus orationis demonstrat. Neque te fugiet me hac orationis specie reperta: „Similia . . . tunc erant inter pistores“ sponte eo adductum esse, ut ex „Sicilia“ vocabulo pessime corrupto maledictum „scelera“ eruerem. Quod si fortasse paullo audacius excogitatum tibi videtur, reputes velim

coenae librarium miro stupore rem suam egisse, ut litterarum ductus ubique nimis anxie premere non opus sit. Ac fieri potuit, ut librarius a vocis „Similia“ terminatione aberrans vocabulum „scelera“, quod sequebatur, corrumperet. Ceterum iam Nicolaus Heinsius correxit: „p e r c o l a p h a b a n t.“ Cum illis: „larvas sic istas percolaphabant, ut illis Iupiter iratus esset“ Burmannus apte comparavit Horatii verba sermon. I, 1, 20: „Quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas Iratus buccas inflet“ e. q. s., quae ut alia ex vulgari sermone desumpta esse recte animadvertit. Nec pauca in Horatii sermonibus atque epistolis extant, quae cum plebeiis dictionibus Petronianis mirum in modum consentiunt. Ut in hoc primo sermone subsistam, poetae verba v. 62. „Nil satis est, inquit, quia tanti quantum habeas sis“ simillima sunt Trimalchionis sententiae cap. 77, 6 „Credite mihi, assem habeas, assem valeas; habes, babeberis“, vel illa v. 95 „dives ut metiretur nummos“ illis cap. 37, 2: „nummos modio metitur“. Similis ratio inter Persium et Petronium intercedit. cf. Iahnii proleg. in Persium p. XXIIII. Eodem sententiarum conexu „Iovis iratus“ a conviva quodam rustico commemoratur cap. 58, 2. De formula ‘iratos deos habere’ similibusque cf. Iahn. ad Pers. IIII, 27.

Cap. 44, 18 „Antea stolatae ibant nudis pedibus in clivum, passis capillis, mentibus puris et Iovem aquam exorabant; itaque statim urceatim plovebat aut tunc aut nunquam et omnes ridebant udi tanquam mures“. Ex eo, quod in Traguriano est „ut dii tanquam mures“ Trillerus observ. critic. p. 371 „u d i tanquam mures“ sagaciter restituit, sed non debebat intactum relinquere vocabulum „ridebant“, quod viri docti suo iure si quid video temptaverant. Nam quod forte aliquis dicat matronas illas nimium gaudium, quo imbrem diu desideratum exceperint, risu expressisse, id quidem nihil est. Ut enim largiar quod per se satis mirum est mulieres illas, quae nudis pedibus passis capillis ingressae subito permaduerunt, proclives fuisse ad ridendum, tamen pompae illius gravitas talem hilaritatem non permittebat. Id igitur rectissime viderunt interpretes ineptum esse vocabulum „ridebant“, quae autem inde effecerunt

minime probari possunt, quod statim mihi concedes, si coniecturas infra adnotatas inspicere volueris[1]). Litteris tantum transpositis scribendum est: „et omnes r e d i b a n t udi tanquam mures“.

Cap. 47, 8 „commundatis ad symphoniam mensis tres albi sues in triclinium adducti sunt . . . quorum unum bimum nomenculator esse dicebat, alterum trimum, tertium vero iam senem“. Aetatis definitio, quae „senem“ vocabulo significatur, non solum nimis incerta est, sed etiam inepta. Nimirum apud nos sues bimi vel trimi iam „senes“ habentur, ut per se admodum probabile videatur apud Romanos in terra meridiana certe eandem rationem in usu fuisse. Certum autem numerum eo magis exspectes, quod et eis quae antecedunt et „iam“ particula — „i a m senem“ — et verbis, quae statim sequuntur, „non exspectata electione nostra m a x i m u m n a t u iussit occidi“ indicatur. Itaque reponendum est „tertium vero iam s e x e n n e m“.

Cap. 48, 4 „Sed narra tu mihi Agamemnon, quam controversiam hodie declamasti. Ego autem si causas non ago, in divisione tamen litteras didici“. Ut nihil dicam de manifesto vitio, quod oratio Trimalchionis in verbis „in divisione“ traxit, alterum mendum, quod nemo tetigit, particulis „au'em si“ continetur. Non dubito, quin scriptoris manum ita restituerim: „Ego e t i a m s i causas non ago, in d o m u s i o n e m tamen litteras didici“. cf. cap. 46, 7 „volo illum ad d o m u s i o n e m aliquid de iure gustare“. Hoc loco Tragurianus diductis litteris habet „domus ionem“, unde Reiskius in altera editione Burmanniana „domus usionem“ effecit idemque Trillerus l. l. p. 371 eodem tempore proposuit. Sed sine ulla mutatione vulgaris sermonis vocabulum „domusionem“ reponendum esse Buechelerus per-

1) Nicolaus Heinsius coniecit: „omnes r o d e b a n t a v i d i tanquam mures“. Burmannus: „Et omnes v i d e b a n t. At ii tanquam mures“. Ceterum iam Reiskius in altera editione Burmanniana similiter atque Trillerus eodemque fere tempore scripsit „u v i d i tanquam mures“, quod proxime ad verum accedit.

vidit nov. mus. Rhenan. XIII, p. 587, qui eandem vocem praeclara emendatione Varroni restituit apud Nonium p. 231 „Diogenem litteras scisse d o m u s i o n i — vulg. „dum usioni„ — quod satis esset". Vides „domusio" vocabulum hoc loco prorsus eodem sententiarum conexu positum esse. „Ego" et „etiamsi" ut hic coniunguntur cap. 110, 4 „E g o e t i a m s i repositum in pristinum decorem puerum gaudebam, abscondebam t a m e n frequentius vultum". Cap. 126, 10 „E g o e t i a m s i ancilla sum, nunquam t a m e n nisi in equestribus sedeo". Denique dicendum erit de singulari quadam ratione, qua Agamemnonis nomen in Traguriano scriptum repperi. Ubique scilicet ne uno quidem loco excepto et herois et rhetoris qui in narratione partes agit nomen omissa „m" littera „Agamenon" scribitur. Legitur autem sexies decies, quater in sermone rustico cap. 46, 1. 48, 4, 7. 59, 4. duodecies in sermone urbano c. 3, 1. 6, 1. 26, 8. 28, 6. 48, 5 bis. 49, 7. 50, 2. 52, 8. 65, 5. 69, 9. 78, 8. Duobus quidem locis, qui in excerptorum codicibus extant, cap. 3, 1. et 6, 1 hi libri vulgatam formam produnt. Iam si quaeris utrum usitata forma, quae duobus tantum locis nonnullis libris traditur an altera Traguriano toties exhibita [1]) neque aliorum nominum analogia non confirmata — cf. Ritschel. nov. mus. Rhenan. XII p. 110 sq. — Petronio tribuenda sit, equidem haud negaverim nomen illud antiquo tempore hoc modo refictum fuisse, ut durus „mn" litterarum concursus vitaretur eamque formam sermone quotidiano, qualem hic scriptor opere suo expressit, ut similes usque ad Neronis aetatem servatam fuisse. Non protulit quidem Ritschelius ullum exemplum, quo ut „n" litteram sic etiam „m" litteram eiectam esse comprobetur, sed ut amicus quidam monuit, hanc litteram propter incommodam repetitionem omisisse videntur. Haec si recte disputavi, nihil protuli nisi quod Ritschelius ab aliorum nominum analo-

1) Dum haec corrigo, video etiam in excerptorum codice Leidensi Voss. Oct. Cat. 81, cuius scripturam Th. Mommsenus Iahnio enotavit, formam „Agamenon" cap 3, 1 et 6, 1 scriptam esse.

gia profectus iam intellexerat; statuit enim hoc ipsum nomen similem mutationem olim expertam esse. [1])

Cap. 49, 7 „Ego crudelissimae severitatis non potui me tenere, sed inclinatus ad aurem Agamemnonis: 'Plane', inquam, 'hic debet esse servus nequissimus; aliquis oblivisceretur porcum exenterare? Non me Hercules illi ignoscerem, si piscem perdidisset'. — Tragurianus „preterisset"; emendavit Heinsius. — „At non Trimalchio, qui relaxato in hilaritatem vultu; 'Ergo' inquit" c. q. s. Primo obtutu adparet verba „At non Trimalchio qui" tam abrupte posita esse, ut per se intellegi nequeant. Goesius igitur post „Trimalchio" cogitatione addendum esse censuit „plenus erat crudelitatis", quo tamen artificio nihil adsecutus est. Id quidem concedo cum quid sententia requirat recte perspexisse, sed quis credat Encolpium, cuius narratione nihil clarius est atque simplicius, hac inaudita dicendi brevitate usum esse, qua narratio eius prorsus obscura evadat? Gravius vero est alterum mendum, quod Goesio non suboluit; nam „qui" pronomen prorsus ineptum est, cum sententia manifesto flagitet, ut verba „relaxato in hilaritatem vultu" eis, quae praecedunt, opponantur. Conferas modo hos locos, quorum ratio prorsus eadem est: cap. 98, 1 „A t n o n servus publicus tam languide agit, s e d raptam cauponi harundinem subter lectum mittit". cap. 113, 2 „A t n o n Lycas risit, s e d iratum commovens caput: 'Si iustus', in-

1) Non persuasit mihi Buechelerus, nov. Mus. Rhen. XII p. 639 illud „staminatas", quod cap. 41, 12 legitur, a voce *σταμνὸς* derivandum atque „i" litteram propter „mn" litterarum concursum insertam esse secundum antiquioris sermonis consuetudinem, quam Ritschelius l. l. inlustravit. Nam si recte sentio, aliquid deest sententiae, quam exprimere vult libertus; velim accurate referat, quantum biberit, ut solent homines, qui ita genio indulgent. Mihi igitur in mentem venit: „I a m IIII h e m i n a s duxi". Hanc suspitionem, quam incertam esse ipse sentio, ne iusto audaciorem dicas, adtendas quaeso „staminatas" vocabulo „st" litteras praecedere atque numeros hic illic in Traguriano litteris tantum significatos esse. Ceterum iam Heinsius coniecit: „h e m i n a t a s duxi".

quit“ c. q. s. Itaque talem fere orationis speciem desidero: „At non Trimalchio [tam crudelis erat, sed] relaxato in hilaritatem vultu“ c. q. s. Tantum autem abest, ut verba, quae post nomen Trimalchionis interciderunt, me recuperasse adfirmem, ut mihi persuasum sit hunc locum sine melioribus libris omnino non posse restitui ac prorsus fallacem esse Traguriani memoriam. Aut enim multum fallor, aut „qui“ pronomen correctorem sapit, qui quam repperit in exemplari suo lacunam aliquo modo resarcire studuit.

Cap. 50, 1. „Plausum post hoc automatum familia dedit et 'Gaio feliciter' conclamavit; nec non cocus potione honoratus est, etiam argentea corona poculumque in lance accepit Corinthia. Quam cum Argamemnon propius consideraret, ait Trimalchio: 'Solus sum, qui vera Corinthea habeam'“. Scheffero „honoratus“ debetur, Traguríanus „oneratus'“. Oratio nimis horrida atque abrupta multo facilior decurret, si puncto posito post vocem „est“ sic scripseris: „Etiam argenteam coronam poculumque“ c. q. s. Formam „Corinthea“ ab editoribus spretam retinui, quia praeter hoc unum exemplum in his ipsis Trimalchionis verbis quater Traguriano proditur. Iam vero cum Encolpio, qui urbane loquitur, usitata forma „Corinthius“ hoc loco atque cap. 31, 9 Traguriani testimonio tribuatur, „eam“ terminationem, quae quantum scio nusquam nisi apud Isidorum Orig. XIII, 16, 6. XV, 1, 45. XIV, 5, 14. XIV, 20, 4 invenitur, vulgari sermoni propriam fuisse suspicor. Quam unde Isidorus hauserit nescio.

Cap. 51, 3 Narrat Trimalchio fabrum quendam, cui vitrum ductile invenire contigerat, Caesarem adiisse ibique ut inventum suum simplicissimo periculo probaretur, phialam vitream in pavimentum proiecisse. Iam sic pergit: „Caesar non pote validius quam expavit; at ille sustulit phialam de terra“ c. q. s. Admodum vereor, ut cui placeat „ellipsis elegantissima“, quam in his verbis inesse Schefferus parum libero usus iudicio sibi persuasit. Itaque circumspicere praestabit quomodo manca oratio redintegrari possit. Id quidem Ioannes Sarisberiensis nobis ostendit, qui hanc Tri-

malchionis fabulam Policratico suo ita intexuit, ut quanquam multa quae nimis rustice dicta sibi viderentur, floridius atque elegantius expressit, tamen haud obscura genuinae narrationis vestigia servaret. Is igitur Trimalchionis verba illa supra posita ita transscripsit Policrat. IIII, 5 „Caesar autem ad haec non magis stupuit quam expavit. At ille de terra sustulit phialam" e. q. s. Iam singulas huius exempli discrepantias inspicias. Atque antiquum illud „non pote" omissum esse vel illud „validius" in „magis" mutatum non mirum est; talia enim fastidivit Ioannes. Sed unde sumpsit vocabulum „stupuit", quo quam concinna et sententia et oratio evadat in oculos incurrit? Ni fallor, melius coenae exemplar ei ad manum erat. Inde igitur Trimalchionem dixisse conicio: „Caesar non pote validius [s t u p e r e] quam e x p a v e t". Praesens tempus „expavet" vividae narrationi aptissimum voculis „non pote" indicatur. Neque corruptelae origo non perspicua est; postquam enim „stu" syllaba „ius" litteris, quae antecedunt, absorpta erat, librarius reliqua sponte omisit.[1])

Cap. 52, 6 „Tandem ergo exoratus a nobis missionem dedit puero. Ille dimissus circa mensam percucurrit et 'Aquam foras, vinum intro' clamavit. Excipimus urbanitatem iocantis et ante omnes Agamemnon, qui sciebat, quibus meritis revocaretur ad coenam. Ceterum laudatus Trimalchio hilarius bibit" e. q. s. Iure offendit Burmannum, quod puer dicitur c i r c a mensam p e r c u c u r i s s e[2]), sed hoc levius

1) Non bene fecerunt editores, ut hoc in transcursu adtingam quod verba Ioannis Sarisberiensis Policrat. III, 8 „fere totus mundus ex Arbitri nostri sententia videtur mimum implere" atque similem quae paullo infra sequitur sententiam „non duco contentionis funem, dum constet inter nos, quod fere totus mundus iuxta Petronium exerceat histrionem", quasi ex singulari fonte nobis intercluso petita essent, inter fragmenta Petroniana rettulerunt. Utroque enim loco ad versus cap. 80, 9 respicit: „Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur" e. q. s., quorum sententiam more suo paullo liberius expressit. Certe ex his locis non potest demonstrari, quod nonnulli credunt, mihi vero admodum dubium est, Ioanni libros Petronii nostris pleniores praesto fuisse.

2) Scribendum puto: „circa mensam d i s c u c u r r i t" cf. cap. 40, 2 „canes Laconici etiam c i r c a m e n s a m d i s c u r r e r e coeperunt".

est prae aliis mendis, quibus hic locus deformatur. Primum enim ultra modum languet quod post verba „missionem dedit puero“ statim adiciuntur: „Ille dimissus“, prave insuper posito „ille“ pronomine, cum vocabulum quo referendum sit proxime antecedat. Deinde verba: „Aquam foras, vinum intro“ inepte puero tribuuntur, cui delictum condonavit Trimalchio. Hunc enim, non puerum dicterium illud protulisse cum laudes parasiticae ostendunt tum verba clara atque perspicua: „Ceterum laudatus Trimalchio hilarius bibit“. Verum multo facilius est, orationis sententiaeque vitia detegere, quam emendare, quod nemo perficiet nisi meliores libri adcesserint. Licet enim Trimalchionis nomen post vocem „intro“ paullo violentius restitui possit, tamen verbis: „Ille dimissus“, quibus interpolator lacunam supplevit, emendationi fundamentum subtrahitur.

Cap. 54, 1 Trimalchio de praestigiis circulatoriis, quae coram convivis exhibentur, ingeniose ut solet loquitur, cum subito puer quidam de summa scala decidit totumque convivium perturbat. Hunc casum infelicem Encolpius sic narrat: „Cum maxime haec dicente Gaio, puer Trimalchionis delapsus est“. Iam Schefferus intellexit aliquid in his verbis turbatum esse, quin etiam emendandi viam significavit, quam si paullo acrius institisset, verum, quod quasi per caliginem vidit, facile invenisset. Haec enim adnotavit: „Post puer puto deesse aliqua, quae significabant lapsum eius pueri in brachium Trimalchionis“. Sed sensum magis quam certam rationem secutus est neque diligentius inquisivit in quo vocabulo vitium lateret. Quid, si hoc loco scriptum esset: „Cum maxime haec dicente Trimalchione, puer Trimalchionis delapsus est“ nonne hanc nominis repetitionem ineptissimam diceres? Atqui scriptura vulgata eodem fere redit, quoniam Gaius praenomen est Trimalchionis. cf. cap. 30, 2. 50, 1. 53, 3. 71, 12. 74, 7. 75, 2. Unde adparet unum ex his nominibus removendum esse idque eo confidentius statuere licet, quo certius etiam sententiam mancam esse demonstrari potest. Postquam enim Encolpius narravit conclamasse familiam malumque exitum

coenae timuisse, his verbis pergit: „Ipse Trimalchio cum graviter ingemuisset superque brachium tanquam laesum incubuisset, concurrere medici“ et paullo post servum verberatum esse refert, „qui brachium domini contusum alba potius quam conchyliata involverat lana.“ Iure profecto mireris, quod non statim una cum casus illius commemoratione narratur puerum decidisse in ipsum Trimalchionem eiusque brachium vulnerasse. Id si quid aliud statim ab initio referre debebat Encolpius. Quid multa? Scribendum est: „Cum maxime haec dicente Gaio, puer in brachium eius delapsus est“. Fateor hanc coniecturam nihil habere, quo primo obtutu se insinuet lectoris animo, sed illam probaturum confido qui quae antea disserui adtentius secum reputaverit. Ceterum inter verba „in brachium eius“ et „Trimalchionis“ non tanta litterarum diversitas intercedit, ut a librario neglegentissimo, qualis is erat, cui Traguriannm debemus, non potuerint permutari, praesertim cum nomen Trimalchionis in quavis pagina saepius ei scribendum esset.

Misero illi puero lapsum non crimini dedit dominus, immo „in vicem . . . poenae venit decretum Trimalchionis, quo puerum iussit liberum esse, ne quis posset dicere tantum virum a servo esse liberatum“. Pro vocabulo „poenae“, quod Hadrianidi debetur, in Traguriano perperam scriptum est „scene“. Restat foedissimum mendum „liberatum“, ex quo nemo quidquam eruit, quod ullo modo probari possit.[1]) Sed verum proximum est. Trimalchio enim quae est eius superbia atque iactatio insigni exemplo demonstrare vult servum indignum sibi videri, cui irascatur; se ut hominem liberalem et generosum a vili mancipio omnino non posse offendi. Quae quidem sententia restituetur, si mecum scrip-

---

1) Heinsius: „a servulo vili verberatum“. Schefferus: „vulneratum“, quod etiam Heinsio in mentem venit. Sed ut de aliis taceam, quod puer post lapsum illum manumittitur, id profecto neminem impedire potest, ne Trimalchionem a servo vulneratum esse dicat. Reiskius: „lividatum“.

seris: „puerum iussit liberum esse, ne quis posset dicere tantum virum a servo esse i r r i t a t u m“[1]).

Cap. 55, 5. „Rogo, inquit“ — scil. Trimalchio — „magister, quid putes inter Ciceronem et Publilium — Tragurianus et excerptorum libri „Publium“ — „interesse? Ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem. Quid enim his melius dici potest?“ Iam sequitur carmen Publilii Syri, quo recitato Trimalchio sic pergit: „Quod autem, inquit, putamus secundum litteras difficillimum esse artificium? Ego puto medicum et nummularium“ e. q. s. Ex corrupto vocabulo „putamus“ facili negotio restitues veram scripturam „p u t a s;“ magistrum enim adloquitur Trimalchio servata prorsus eadem orationis forma, quam supra instituit.[2]) Huic loco, ubi in eo quod Trimalchio meris ineptiis subito lepidos mimographi versus immiscet subtile scriptoris artificium admireris, similis est, qui cap. 52, 1 legitur: „Habeo scyphos urnales plus minus [C(?)], quemadmodum Cassandra occidit filios suos et pueri mortui iacent sic ut vivere putes“. „Vivere“ Heinsius egregie emendavit, Tragurianus „ut vere putes“. Nonne in his ultimis verbis intellegentis alicuius hominis dictum agnoscis cum acumine quodam ad modum epigrammatis expressum? Patet quam acerbe Petronius iactationem elegantiorum hominum perstringat, qui singularem quandam artium intellegentiam adfectabant. Atque ob similem causam versus Publilii Syri, qui illa aetate propter sententias mimis intextas in rhetorum scholis iusto studiosius colebatur, cfr. Senec. contr. III, 18, Trimalchioni talis sapientiae amatori tribuisse videtur. Odit enim „vanissimum sententiarum strepitum“.

Cap. 56, 8 oblectamentum Saturnalicium convivis a Trimalchione paratum describitur. Puer in scypho sortes circumfert titulis ambiguis atque obscuris insignitas, quibus divisis altaque

---

1) Cap. 55, 4 ante verba „diuque summa carminis penes Mopsum Thracem commorata est“ nonnulla intercidisse videntur.

2) Similem corruptelam cap. 50, 4 corrigas: „Et forsitan, inquit, quaeris, quare solus vera Corinthea habeam.“ Repone: „q u a e r i t i s“. Trimalchio ad omnes convivas se convertit.

voce recitatis apophoreta quaedam singulis convivis traduntur atque ea quidem, quae sortium quas antea e scypho duxerunt titulis significantur. Semper vero munus prorsus inexspectatum convivae evenit ac tam perverso acumine excogitatum, ut cum titulo recitato coniungi non possit nisi ridiculis artificiis. Sed quo clarius perspicias qualis fuerit hic ludus, nonnulla eius exempla paucis enarrabo. Puer postquam hunc titulum proclamavit: „murena et littera“, conviva qui sortem duxit his verbis insignitam accipit „murem cum rana alligatum fascemque betae“. Patet fascem betae ad secundam Graecorum litteram adludere ac cetera quoque ex arte grammatica haud ita severa repetenda esse, quasi vocabulum „murena“ compositum sit ex „mure“ et „rana“. Alterum adiciam exemplum. Convivae, qui sortem duxit ita inscriptam: „passeres et muscarium“, uva passa et mel Atticum adfertur. Itaque pro muscario vel flabello munus prorsus contrarium emergit, inter passeres vero et uvam passam nulla necessitudo nisi litterarum sonus intercedit. Iam vero ex magno illo mendorum numero, quibus argumentum huius capitis iam per se satis intricatum longe difficillimum evadit, unum certa ratione removisse mihi videor. Alter scilicet titulus inscriptum habet vocabulum „cervical“ quo pronunciato „offla colaris allata est.“ In his verbis „l“ littera duplicata „collaris“ corrigendum esse Studerus perspexit, qui in observ. crit. p. 15 sq. hanc coenae particulam dedita opera haud infeliciter tractavit. Iocus enim in vocabulis „collum“ et „cervix“ vertitur et munus adlatum titulusque a puero recitatus simili atque supra tetigimus artificio inter se coniunguntur. Sed ludus eo aliquid obscuri habet, quod nimis vage atque incerto „offla collaris“ dicitur adlata esse non addito animalis nomine, unde desumpta sit. Nihil igitur probabilius est, quam librarium, cui omnia in hoc capite obscura erant, nomen illud qua erat socordia omisisse ac speciem huius loci talem fuisse: „'Cervical'! offla c e r v i collaris allata est“. Iam omnia plana sunt ac perspicua neque est cur in artificiosa vocis „cervi“ conlocatione offendas, immo hac ipsa efficitur, ut adnominatio in verbis „c e r v i c a l“ et „c e r v i c o l l a r i s“ posita

primo obtutu eluceat. Quae cum altera quae lenius quidem restitui possit conlocatione „c e r v i offla collaris“ prorsus fere evanescat, iniuria litterarum ductus premeres.

Non minus corrupta feruntur duo proxima capita, quibus liberti cuiusdam oratio insigne sermonis rustici exemplum continetur. Is postquam in Gitonem puerum petulantem vehementer invectus est, magistro eius, quem cum contemptu commemorat suum magistrum opponit, cuius beneficio se didicisse praedicat decore atque honeste se gerere. Sed ipsa eius verba adscribam cap. 58, 14 „Didicimus: dicebat: enim, magister. sunt vestra salva recta: domum cave. circumspicias. cave maiorem maledicas. aut numera mappalia. nemo dupondii evadit. ego quod me sic vides propter artificium meum, diis gratias ago“. Perspicuum est his verbis, quae qualia Traguriano produntur exhibui, admonitiones inesse, quibus discipuli e schola domum abeuntes a magistro dimittuntur. Ut vero alia praetermittam quid sibi velint verba „aut numera mapalia“ nemo facile expediat. Ac parum feliciter quidem Schefferus coniecit: „h a u d numera mapalia“ hac addita explicatione: „ne singulas pergulas in via inspice, velut numerum omnium deberes inire“. Haec enim sententia satis inepta ne recte quidem expressa est, cum „haud“ particula perperam cum imperativo coniungatur. cf. Ritschelii sched. critic. p. 17.

Iam in his verbis emendandis a voce „mapale“ accuratius interpretanda progrediar. Quae quidem e sermone Punico a Romanis desumpta est ac praeter usitatam significationem ‘pergulae’ vel ‘tugurii’ etiam translata de ‘ineptiis, quisquiliis’ usurpatur. Huius usus egregium exemplum apud Senecam repperi in ludo de morte Claudii, quae satura in dicendi genere multa cum Petronio communia habet. Ibi igitur Iupiter deos, qui Claudium neglecta quae eis commissa erat quaestione satis petulanter ludibrio habent, his verbis increpat cap. 9: „Ego, . . . P. C. interrogare vobis permiseram, v o s m e r a m a p a l i a f e c i s t i s. Volo servetis disciplinam curiae“. Accedunt quae apud Festum s. v. „mapalia“ leguntur, ubi hic Senecae locus non fugit Scaligerum: „Mapalia casae Poenicae appellantur, in quibus

quia nihil est secreti solet id vocabulum solute viventibus obici“. Paullo obscurius Festus loquitur; neque enim satis perspicuum est utrum ipsi homines dissolute viventes mapalia adpellati sint an quae secundum hanc vitae rationem egerunt. Sed ut ut haec sunt, certe minime repugnant haec Festi verba explicationi nostrae. At, quaeris, qui tandem fieri potuit, ut una eademque voce tam diversae notiones quam ‘tugurium’ atque ‘quisquiliae’, ‘ineptiae’ exprimerentur? Id eo magis obscurum esse fatendum est, quod homines plebeii peregrinorum quae alicubi exceperunt vocabulorum primam ac genuinam notionem usu quotidiano mirum in modum ac prorsus ad libitum detorquere solent. Ac nisi fallor iam Festus vel is quem sequitur sola coniectura divinare coactus erat unde mira illa translatio derivanda videretur. Itaque mihi quoque liceat, coniecturam quandam de hac re proponere. Salustius bell. Iugurth. cap. 18 de mapalibus haec tradit: „Persae intra oceanum magis“ — scil. locos occupavere — „hique alveos navium i n v e r s o s pro tuguriis habuere“ et paucis interiectis: „Ceterum adhuc aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblongo incurvis lateribus tecto quasi n a v i u m c a r i n a e sunt“. Inde perspicitur formam mapalium miram fuisse atque ridiculam, quoniam Numidae in tectis construendis ut cum Petronio loquar quod sursum erat deorsum fecerunt. Nonne igitur facillime Romanis in mentem venire potuit voce Punica „mapale“ nugas petulantes atque insanias significare, quibus omnia perturbarentur? Sed vereor, ne ipse nugas facere tibi videar; missa igitur hac lubrica quaestione ad Petronium redeamus.

Luce clarius e sententiarum conexu adparet vocabulum „mapale“ ea quam modo docuimus significatione etiam in his ludimagistri verbis intellegendum esse. Itaque sic scripserim: „recta domum; cave circumspicias; cave maiorem maledicas; s a t n u m e r o mapalia; nemo dupondii e v a d e t“. Tum ipse libertus loqui pergit: „Ego quod me“ c. q. s. ‘Saltem in via’, inquit magister, ‘honeste te gere; nugas satis celeriter facies, si domum redieris’. „Sat numero“ dictio antiquioris sermonis, cuius

vestigia in sermone rustico Petroniano servata[1]) Studerus, nov. Mus. Rhenan. II p. 77 sq. conligere studuit, apud Sextum Turpilium invenitur, Ribbeck. rel. comicor. Latinor. p. 89: „ego ínterim in turbá foras Subdúxi cum hac me néque sat numero míhi videbar cúrrere“. Iam vero in nugarum commemoratione ludimagister subito iracundia exardescit, quam praedictione effundit omnes homines nihili fore. Nam „nemo dupondii evadet“ idem est atque „nemo ullius pretii evadet“, ut recte Schefferus explicavit. cf. cap. 58, 4 „matrem meam dupondii non facio“. cap. 58, 5 „dominus dupondiarius“. cap. 74, 15 „homo dupondiarius“. Illud „didicimus“ absolute positum est, ut cap 46, 8 „Vides Phileronem causidicum, si non didicisset, hodie famem a labris non abigeret“. „Maledicere“ cum accusativo coniungitur, ut cap. 96, 7. 74, 9. Sed fortasse ita scribere praestat: „Nemo dupondii evasit“, ut inde ab his verbis oratio ipsius liberti rursus incipiat, qui se condiscipulis, qui nunquam rem fecerint gloriose opponat. Verum tacere nolo primam quam proposui coniecturam mihi ipsi non prorsus sufficere, cum verbum „facies“ illis „sat numero mapalia“ mente addendum sit, id quod duriusculum esse sentio. Id tamen mihi persuasum est viam a me indicatam unice veram esse.

Idem libertus Ascyltum adversarium, qui stomachum ei movit, cap. 57, 4 paullo obscurius his verbis perstringit, quae scripsi secundum Tragurianum: „ridet. quid habet quod rideat? numquid pater faetum emit? lana eques Romanus es“. Conlatis eis, quibus Gitonem puerum cap. 58, 8 adloquitur: „ad summam si quid vis ego, et tu sponsiunculam exi de fero lanna. Iam scies patrem tuum

1) In eiusdem liberti oratione cap. 57, 10 pro „mali isto“, quod Tragurianus habet cum Munckero scribendum est „maiesto“. Hoc antiquum esse vocabulum „Maius“ et „Maiesta“ nomina iam a Munckero in comparationem vocata demonstrant. Ibidem Traguriano servata est vetusta forma „dignitossus“ perperam illa ab editoribus mutata. De „s“ litterae geminatione cf. G. Schmitz. nov. Mus. Rhenan. vol. XI, p. 301. Buecheler. eiusd. Mus. vol. XII, p. 132.

mercedes perdidisse, quamvis et rethoricam scio“ utroque loco ex corruptis Traguriani vestigiis, in quibus haud dubie aliquod convicium latet, idem vocabulum eliciendum esse suspicor. Quod quidem video etiam Hadrianidem animadvertisse. Itaque primum locum ita refingo: „Numquid pater fetum emit? Levenna, eques Romanus es?“ alterum ita: „Ad summam, si quid vis, ego et tu sponsiunculam!“ — scil. faciamus — „ecce defero!“ — correxit Schefferus. — „Levenna, iam scies patrem tuum mercedes perdidisse, si quid vis. Et rhetoricam scio!“ Vel „Quid vis? Et rhetoricam scio!“ Quidquid temptabis, id quidem certum est ex corrupto illo „quamvis“ vocem „vis“ restituendam esse. „Hominem levennam“ pro „levi“ Laberius dixit, ut refert Gellius XVI, 7, 11.

Cap. 59, 3 „Scitis, inquit“ — scil. Trimalchio — „quam fabulam agant? Diomedes et Ganymedes duo fratres fuerunt, horum soror erat Helena. Agamemnon illam rapuit et Dianae cervam subiecit. Ita nunc Homerus dicit, quemadmodum inter se pugnent Troiani et Parentini. Vicit scilicet — Tragurianus „silicet“ — et Efigeniam filiam suam Achilli dedit uxorem; ob eam rem Aiax insanit“. Cavendum est ne quid temere mutemus in eruditis illis sermonibus, quibus Trimalchio convivas suas delectat; tam inaudita enim audacia res et personas confundit, ut etiam ineptissimos errores ei imputare liceat. Itaque non adsentior Scheffero, qui pro „Parentini“ reponere voluit „Tarentini“; Trimalchio enim cogitasse videtur de Graeco sermone, quo Tarentini utebantur ideoque Graecis idem fere nomen tribuit. Iure autem offendisse mihi videor in verbis „Vicit scilicet et Efigeniam“ c. q. s., quae iam Scheffero suspecta erant. Nam quis tandem vicit? Nonne permirum est quod nomen victoris omittitur neque ullis machinis ex eis quae antecedunt subiectum enunciati cogitatione addi potest? Licet enim Trimalchio stultissimum se praestet, tamen ubique satis clare et perspicue loquitur, ut statim quid velit adpareat. Itaque hanc sententiam Trimalchione haud indignam proponam: „Vicit Ulixes et Efigeniam filiam suam“ c. q. s. vel quod tamen minus mihi placet: „Vicit scilicet Ulixes et“ c. q. s. Ulixes,

cuius res gestas bene novit Trimalchio — cf. cap. 48, 7 — facile ei in mentem venire potuit, quoniam statim Aiacem insanientem commemorat. Quanquam alia quoque fingi possunt, quae eum in errorem induxerint; nam velocissimum Trimalchionis ingenium sequi admodum difficile est.

Cap. 60, 6 „nova ludorum remissio hilaritatem hic refecit; omnes enim placentae omniaque poma etiam minima vexatione contacta statim coeperunt effundere crocum et usque ad nos molestus humor adcedere“. Non credo vocabulum „adcedere“ scriptum esse a Petronio. Primum enim scire velim unde infinitivus pendeat. Qui cum infinitivus historicus hic locum non habeat, ita tantum explicari potest, ut ex verbo „coeperunt“, quod antecedit, „coepit“ repetatur, quod quam durum sit et artificiosum facile opinor sentics. Sed non solum orationis conformatio, verum etiam sententia inepta est. Profecto nullo modo fieri potest, ut de humore, quem poma etiam lenissime tacta effundunt, verbum „adcedere“ usurpetur, quo humoris, ut ita dicam, mobilitas minime exprimitur. Videndum, ne Petronius scripserit: „coeperunt effundere crocum et usque ad nos m o l e s t u m h u m o r e m a d s p e r g e r e“. Dubitanter hanc coniecturam paullo audaciorem profero, sed vereor, ut lenior emendatio inveniri possit[1]).

Cap. 63, 3 „Cum adhuc capillatus essem, nam a puero vitam Chiam gessi, Iphis nostri delicatus decessit, me Hercules margaritum, caccitus et omnium numerum“. Non perspicio cur Trimalchio vitam, quam se a puero gessisse iactat, „Chiam“ dicat mira sane adpellatione, quae doctis Schefferi et Burmanni commentis minime inlustratur. Itaque hanc vocem ut suspectam notaverim. Neque „Iphis“

---

1) Quae paullo antea leguntur: „Dum haec apophoreta iubemur sumere, respiciens ad mensam, iam illic repositorium cum placentis aliquot erat positum“ e. q. s. fortasse sic corrigenda sunt: „iubemur sumere et r e s i p i s c e n t e s a d i m u s mensam, iam illic“ e. q s. — Recte puto Tilebomium perspexisse in verbis cap. 62, 9 „matauita tau umbras cecidi“ onomatopoeïam inesse. Sed multo clarius illa audietur litteris ita diductis „m a t a u i t a t a u“, ut „tau“ syllaba bis graviter efferatur.

nomen cum Heinsio reposuissem, si quid repperissem, quod ex Traguriani scriptura „ipim“ certius restitui posse videatur. Restat denique foedissimum mendum „caccitus“, quod etsi certo emendare non possum, tamen inventum meum qualecunque proferre fortasse non inutile erit. Ac quid rerum conexui conveniat, id optime Heinsius perspexit, cui „hyacinthus“ scribere placuit; patet enim e Traguriani vestigiis translationem esse eruendam, quae eodem fere redeat atque vox „margaritum“. Talis translatio cum suspitione Heinsiana exprimatur, in ea adquiescero non dubitarem, nisi iusto longius recedere mihi videretur a litteris in Traguriano exaratis. Itaque scribere malim „nostri delicatus decessit, me Hercules margaritum, g a l a c t i t e s, omnium numerum“. Exempla quidem, quibus talis translatio vocabuli „galactites“ comprobetur, non inveni, sed mihi concedes puerum delicatulum nomine illius lapidis longe tenerrimi, de quo Plinius refert nat. histor. XXXVII, 59, optime posse significari. Certe non desunt similia, quae de forma tenera ac delicata dicantur. cf. Enn. ed. Vahlen. p. 53 „Et simul erubuit l a c t e et purpura mixta“. Catull. 55, 17 „num te l a c t e o l a e tenent puellae?“ Varro apud Nonium p. 27 „Chrysosandalos locat sibi amiculam d e l a c t e et cera Tarentina“. Exempla adiectivi „lacteus“ similiter usurpati vide apud Bentleium ad Horat. carm. I, 13. Denique moneo me delevisse „et“ particulam — „e t omnium numerum“ — cum nimis languida sit totamque vim enumerationis perdat. cf. cap. 68, 7 „idem sutor est, idem pistor, omnis musae mancipium“. Facilis autem error erat, cum „tes“ syllaba antecedat[1]).

Cap. 64, 1 Trimalchio miram de strigibus fabulam narrat, qua finita Encolpius ita pergit: „Miramur nos et pariter credimus osculatique mensam rogamus nocturnas, ut suis se teneant, dum redimus a coena“. Intellegi nequit vocabulum „suis“, quod Schefferus et Burmannus improbabiliter ita de-

---

1) Haec scripseram, cum Iahnius emendationem admodum speciosam mecum communicat; pro „caccitus“ enim „c a t a m i t u s“ scribendum esse suspicatur.

fendunt, ut „sedibus“ vel „finibus“ audiri iubeant. Recte tamen viderunt quid sententia postulet. Ex verbis enim „se teneant“ sponte conicias in voce corrupta „suis“ nomen alicuius loci latere, in quo nocturnas considere rogant, ne dum nocte a coena redeant, ab eis inquietentur. Itaque corrigam: „rogamus ut triviis se teneant“ vel ut amicus quidam maluit „ut triviis suis“ e. q. s. Trivia magnam in rebus magicis et superstitionibus, veluti in Hecatae cultu, auctoritatem obtinuisse satis notum est.[1])

---

1) Ut hac Trimalchionis fabula de strigibus narrata atque simili illa, quam alius libertus paullo antea profert de homine quodam in lupum converso — cf. Welcker. Kl. Schrift. III, p. 157 — clara vulgaris superstitionis imago nobis ante oculos ponitur, ita haud pauca in hoc scriptore narrantur, quae ad illam adludunt. Atque adtentus quidem lector talia facile persentiscet. Huc vero pertinet locus, cuius scripturam constituere non contigit viris doctis, dico Encolpii verba cap. 131, 11 „non precantis usque ad satietatem osculis fruor“. Quae emendare licet ex libro Bernensi, qui hanc insignem discrepantiam habet: „non praecantatis“. Unde primum conieci „non praecantatus“, sed hac mutatione vix opus est. Nempe Encolpius osculis fruitur, quibus „ne quis malus invidere possit“ ei non verendum est atque consulto quidem „non praecantatis“ ironice dicit. quia saga, cuius auxilio paullo antea usus est, inter alia venena etiam „lapillos praecantatos“ adhibuit. De vocabulo „praecantare“ similibusque in rebus magicis usitatis cf. Gronov. observat. II, 1 ed. Platner. p. 166; Grauert. histor. phil. Analekt. p. 100; Madvig. in Cic. de fin. p. 870, ubi huius usus exempla Wesenbergius conlegit. Qui quod Ciceroni de fin. II, 29 restituit „praecentet“ vel „praecantet“, dubitanter illud a Madvigio probatum, id subtilius quam verius excogitatum mihi videtur satisque vel eis, quae Madvigius p. 870 significat, refutatur. Sed liceat mihi ipsa Ciceronis verba adscribere: „Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere — nam id quidem interdum est necesse — sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetaeo funestare, ‘Quod éiulatu quéstu gemitu frémitibus Resonándo mutum flébiles vocés refert’. Huic Epicurus praecentet, si potest cui ‘E viperino mórsu venae viscerum Venéno inbutae taétros cruciatús cient’“. Versus scripsi secundum Ribbeck. tragic. Latinor. rel. p. 176. Madvigio in corrupta libri Erlangensis scriptura „praecentet“ aliquod vocabulum latere videtur, quo notio subveniendi exprimatur, „aut duabus vocibus eadem significatio conprehensa“. Quam quidem viam, qua nihil rectius est, per-

Cap. 68, 2 „Poteram quidem, inquit, hoc ferculo esse contentus, secundas enim habetis mensas; si quid belli habes, affer. Cum verba „si quid belli habes“ eis quae antecedunt, manifesto opponantur, particula adversativa qualis „at“ inserenda est: „at si quid belli habes“ e. q. s.[1]).

Cap. 69, 3 „Sic me salvum habeatis, ut ego sic solebam ipsam Mammaeam debatuere, ut etiam dominus suspicaretur et ideo me in villicationem relegavit. Sed tace lingua, iam dabo panem“. Heinsius „ipsam Mammeam“ ex eo quod in Traguriano est „ipsum ammeam“ restituit eidemque „lingua iam“ debetur; in codice enim perperam „linguam“ scriptum est. Nihil autem dixit de gravissimo vitio in verbis ineptissimis „dabo panem“ posito. Apta sententia hac lenissima mutatione restituetur: „Sed tace lingua, iam dabo poenam“. Insistit subito Trimalchio sentiens se parum caute res illas amatorias iactare; vel invidiam, quam iactatione sua fortasse lacesserit, his verbis a se defendere vult.

Cap. 70, 10 „Permitto, inquit, Philargyre et Carrio“ — scil. accumbatis — „et si prasianus es famosus, dic et Minophilae contubernali tuae discumbat“. Iure „si“ particula viris doctis displicuit; neque enim conditionalis, sed causalis particula requiritur. Itaque corrigendum: „et quia“. „Pra“ syllaba, quae sequebatur, errorem procreavit. Solent autem personae plebeiae „quia“ particula uti.

Cap. 71, 9 „Te rogo, ut naves etiam monumenti mei facias plenis velis euntes“. Haereo in genitivo „monumenti mei“, quem quomodo interpretes sibi explicaverint difficile

---

secutus ad hanc scripturam perveni: „Huic Epicurus praesens est, si potest“, scil. praesens esse — „cui“ e. q. s. Sentis Ciceronem de Epicuro cum ironia quadam loqui, quasi numen divinum sit. Illa vero minus acerba evaderet, si coniunctivo, qui Madvigio placuisse videtur, posito corrigeres: „Huic Epicurus praesens sit“.

1) Cap. 67, 13 „in gremio Scintillae indecentissimam rubore faciem sudario abscondit“. Reinesius „indecentissimam“ scripsit, Tragurianus „indecens imam“. Sed nisi multum fallor, Encolpius ironice dixit: „decentissimam rubore faciem“ vel „iam decentissimam.“ Vulgata scriptura inepta est.

est intellectu. Aut scribendum est: „in monumento meo, aut ante genitivum nomen eius loci intercidit, in quo naves fingi iubet Trimalchio. Sed fateor nihil mihi succurrisse, quod huic rationi conveniret.

Cap. 72, 4 „Coniciamus nos in balneum, meo periculo, non poenitebit. 'Vero vero', inquit Habinnas, 'de una die duas facere, nihil malo' nudisque consurrexit pedibus et Trimalchionem gaudentem subsequi". Non dubito, quin propter litterarum similitudinem verbum „coepit", — cepit — quod in deliciis habet Petronius, post „subsequi" interciderit, ut iam Burmannus recte animadvertit. cf. cap. 6, 3 „cursim Ascyltum persequi coepi". Cap. 7, 1 „et coepit me praecedere". Sed alterius vitii emendationem Burmannus nobis reliquit; quis enim non sentit quam languidum sit atque aridum vocabulum „gaudentem"? Aliquid circumspiciendum est, quo Trimalchio turpissima ebrietate iam gravis quasi ante oculos nobis ponatur. Atque in promptu est corrigere: „et Trimalchionem plaudentem subsequi coepit". cf. cap. 26, 1 „Iam ebriae mulieres longum agmen plaudentes fecerant". Cap. 70, 10 „Iam Scintilla frequentius plaudebat, quam loquebatur". Post verba „de una . . . facere", quae tanquam obiectum verborum „nihil malo" accipienda sunt, paullulum insistit oratio, quod moneo, ne quis in constructione verborum offendat.

Cap. 72, 9 „Et Giton quidem iam dudum se ratione acutissima redemerat a cane; quidquid enim a nobis acceperat de coena latranti sparserat. At ille avocatus cibo furorem suppresserat". „At" particulam ferri non posse Heinsius vidit, sed parum considerate „ita" scribi voluit, quae particula prorsus otiosa evadit, cum ratio, qua canis avocatur, ablativo „cibo" satis superque exprimatur. Repone „et ille avocatus".

Cap. 73, 6 „Tum Trimalchio: Amici, inquit, hodie servus meus barbatoriam fecit, homo praefiscini frugi et micarius. Itaque tango menas faciamus et usque in lucem coenemus". Nonne ineptum est quod Trimalchio, qui tantam familiam habet, ut vix decima pars domino innotuerit, — cf. cap. 37, 9 — de „servo suo" loquitur? Nam quod tibi

in mentem veniat servum illum, quem Trimalchio cum vi quadam „suum" dicat ac magni faciat comissatione illa in honorem eius proposita, delicias domini fuisse, ideo mihi non placet, quod vocabulum „servus" talem favorem minime prodit. Scribendum puto: „hodie Croesus meus"; ita enim Trimalchio delicias suas adpellat cap. 64, 5, 6. Atque facillime „Croesus" vel „cresus" ut in Traguriano scriptum est, litteris transpositis in „servus" transire potuit. Ex verbis „tango menas" Munkerus efficiendum putavit *τέγγω πνεύμονας*, ita ut Trimalchio Alcaei canticum respiciat, quod incipit verbis: *Τέγγε πνεύμονα Γοίνῳ*. cf. Alcaei fragment. 39 Bergk. Quae ingeniosa coniectura non omnibus numeris absoluta mihi videtur. Etenim cum illud „tango menas" eodem sententiarum conexu eodemque modo in Traguriano exaratum etiam cap. 34, 7 legatur, non probabile est librarium duobus locis in eundem errorem incidisse; itaque Heinsio adsentior, qui Graeca illa vocabula plebis ludibrio detorta esse censet. Illud „barbatoriam faciet" — Tragurianus „babatoriam" — glossis Stephani atque Labbaei ab Heinsio adlatis inlustratur: „Barbatoria" *πωγονοκουρεῖα*, *πωγονοκουρία*. cf. Graeca vocab. Denique quid illud „micarius" sibi velit, id incertum relinquo. Nam ut aliorum commenta omittam, Heinsii explicatio „qui victum sibi parat de micis e mensa herili proiectis" huius loci sententiae parum consentanea est neque in eis adquiescere possum, quae mihi ipsi in mentem venerunt.

Cap. 74, 8 „Hinc primum hilaritas nostra turbata est, nam cum puer non inspeciosus inter novos intrasset ministros, invasit eum Trimalchio et osculari diutius coepit". Non puto Petronii esse adverbium „diutius", quod neque cum „osculari" neque cum „coepit" apte coniungi potest. Conicio: „et osculari avidius coepit". Adiectivum „inspeciosus" ut editores animadvertunt, nusquam nisi apud Petronium invenitur.

Cap. 77, 4 „Interim dum Mercurius vigilat, aedificavi hanc domum, ut scitis cusuc erat, nunc templum est". Pro „cusuc" ex coniectura Schefferi vulgo legitur „casula", in quo invento iniuria omnes adquieverunt, uno excepto Orellio, lect. Petron. p. 7. Is enim cum ex monstrosa

illa scriptura Latinum vocabulum eruere non potuisset, Trimalchionem, quem hominem Syrum fuisse sibi persuasit, Syriaco vocabulo „ch'schuk“, quod idem atque 'angulum tenebricosum, latibulum obscurum' valere monuit, donare non dubitavit. Sed vir egregius hac via satis periculosa verum opinor non invenit. Mihi quidem persuasum est Latinum vocabulum ac simplicissimum quidem miris illis ductibus occultari. Scribendum enim puto: „ut scitis vicus erat, nunc templum est“. cf. cap. 61, 6 „Cum adhuc servirem, habitabamus in vico angusto; nunc Gavillae domus est“. Trimalchio ad domum suam amplam ac magnificam respiciens de rustico praedio, quod olim locum eius obtinebat, cum manifesto contemptu loquitur. Primum suspicatus sum: „gurgus[tium]“, sed alterum ut multo simplicius praefero.

Haec habui, quae ad coenam Trimalchionis spectarent. Iam de nonnullis locis disserere lubet, quos omnes fere sine librorum quos mihi quidem cognoscere licuerit subsidiis emendare conatus sum. Cap. 83,3 Encolpius pinacothecam Graecae alicuius urbis perlustrans duas Apellis imagines ita describit: „Hinc aquila ferebat coelo sublimis deum, illinc candidus Hylas repellebat improbam Naida.“ Non fugit Bongarsium — cf. Orellii lection. Petron. p. 7 — Ganymedem, cuius raptum Apelles prima tabula repraesentavit, non posse deum vocari; deus enim nunquam factus est. Varia igitur viri docti conati sunt, nemo tamen rem acu tetigit. Emendo: „Hinc aquila ferebat coelo sublimis Idaeum.“ Exemplum frustra apud Latinos scriptores quaesitum, quo Ganymedem substantivo non addito simpliciter Idaeum adpellatum esse comprobetur, apud Nonnum repperi Dionys. X, 318. *Ἄμπελος ἱμερόεις Γανυμήδεος εἶδος ἐλέγχει. Τμώλιος Ἰδαίου πέλε φέρτερος.* Nec minus quam grandi dictioni Nonnianae talis adpellatio florido illi ac paene tumido dicendi generi convenit, quo Encolpius „ventosae loquacitatis“ insectator hoc aliisque locis — cf. cap. 81, 3 sq. 99, 2, 3. 100, 1. 115, 9 sq. — non sine certo consilio [1]) utitur. Quae grandiloquentia mirum in mo-

1) Quamvis corrupta sint, quae statim sequuntur, id tamen perspi-

dum abhorret a singulari illa simplicitate atque neglegentia, quam oratio eius quotidiano urbanorum hominum sermoni adcommodata prae se ferre solet. Hic quidem sermo, ut pauca quaedam moneam, quae neque Studerus, nov. Mus. Rhenan. II, p. 88 sq. adnotavit neque qui post eum in varia dicendi genera a Petronio expressa inquisivit Car. Beck „The age of Petronius Arbiter, Cambridge 1856“ p. 104 sq. ex hoc frequenti usu perspicitur, quo subiectum, quod verbo alicui inest, insuper addito pronomine aliquo personali significatur, quanquam alii personae non opponitur. Ex eodem fonte etiam illud „ita est“ cap. 20, 7. 21, 7. 84, 1 petitum videtur, quod apud Senecam philosophum, qui talia captavit, saepius invenitur — cf. Haasii praefat. ad Senec. vol. I, p. V — atque illud „bene mane“ cap. 85, 6, quem usum vocis „bene“ interpretes exemplis ex Ciceronis epistolis atque Hygino adlatis inlustrant. Saepissime „bene“ ita ponitur apud scriptorem belli Hispaniensis. cf. Nipperdeii Quaest. Caesarian. p. 27. Porro huc refero, quae infra posui: cap. 82, 2 „Cum errarem . . . nec invenissem quo loco stabulum reliquissem“ e. q. s. cap. 22, 3 „lagenam expilare“ pro „ebibere“. cap. 27, 4 „cubitum apud aliquem ponere“ pro coenare apud aliquem. Proverbialem speciem habent cap. 92, 9 „pridie incipere, postero die finire“. cap. 104, 2 de eis, quibus eadem somnia acciderunt „una dormire“. [1])

cuum est Encolpium, in quem Goethii verba cadunt de moroso artium amatore: „In Bildergalerien geht er spazieren Vor lauter Gemälden, die ihn vexiren“, quam amat ironiam contra se ipsum adhibere.

1) Non probo quod Studerus „mulionem fata“ cap. 69, 5 idem valere dicit atque „mulionum dicta“. Nam quae ibi de servo quodam narrantur: „lacernatus cum flagello mulionum fata egit“ illum totam mulionum indolem atque naturam mimica arte imitatum esse clare ostendunt. cf. cap. 68, 8 „parem non habet, sive muliones volet sive circulatores imitari“. Mulionum autem personas illa aetate in hoc mimorum genere usitatas fuisse Senecae verbis lud. de mort. Claud. cap. 6 significatur: „Tu autem, qui plura loca calcasti, quam ullus mulio perpetuarius, Lugdunenses scire debes“. cf. Iahnii proleg. in Persium p. LXXXIX. Neque perspexit Studerus, quid sibi

Cap. 90, 1 Eumolpus poeta prorsus singularis, cuius mores atque ingenium lepidissime descripsit Petronius, carmen de Troiae expugnatione recitat, sed media in declamatione subito satis moleste interpellatur. Narrat enim Encolpius: „Ex his, qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt". Homines, qui in porticibus ambulant cum ne verbo quidem antea commemorentur, „his" pronomen hic locum non habet. Quod quidem si quis pervulgato scribendi more pro „eis" positum esse suspicaretur — ac video hanc ipsam scripturam e codice Leidensi ab editoribus enotatam esse — is mox animadverteret se hac via nihil prorsus profecisse atque altius mendum esse repetendum. Primum enim „ex eis qui" admodum dure et insolenter dictum esset,[1]) deinde ab arte atque elegantia scriptoris prorsus abhorreret, quod tam languide atque frigide narraretur bonum Eumolpum secure recitantem praeter omnem exspectationem tam inurbane esse trac-

---

proposuerit Encolpius his verbis cap. 74, 4: „gallus allatus est, quem Trimalchio iussit ut aeno coctus fieret" quibus illum simpliciter graecissare statuit. Nam nisi multum fallor, hanc singularem loquendi licentiam, qua duas constructiones ab altera ad alteram subito transiens confundit, sibi sumit, ut Trimalchionis gravitatem iocosa orationis imitatione derideat. Nempe ille dixerat: „Iubeo, ut aeno coctus fiat". cf. cap. 47, 10 „mei coci etiam vitulos aeno coctos solent facere". Similiter paullo infra verbum „maledicere" contra consuetudinem suam — cf. cap. 53, 3. 117, 11. 132, 13, 14 — per iocum more plebeio cum accusativo coniungit, id quod fugit Studerum.

1) Dicendum erat „nonnulli ex iis". cf. cap. 93, 3 „Nam si aliquis ex iis", — vulgo „his" legitur — „qui in eodem synoecio potant, nomen poetae olfecerit, totam concitabit viciniam". Non perspicio, quid illud „nomen poetae" sibi velit; neque enim veretur Encolpius, ne quis nomen poetae, sed ne ipsum poetam carmina usque ad nauseam recitantem olfaciat. Itaque sic scripserim: „nam
[nomen poetae]
si aliquis . . . Eumolpum olfecerit" e. q. s. Ioculariter Encolpius adludit ad ipsam nominis etymologiam. 'Si quis', inquit, 'dulce cantantem audierit, actum erit'. Huc quidem Giton spectat Encolpium rogans, ne „seniori convicietur".

tatum. Iam vero cum haec eadem argumenta etiam contra scripturam vulgatam valeant, perspicuum erit prima enunciati vocabula „ex his" corrupta esse. Quo autem sententiae conexu ducamur, iam supra significavi; equidem aliquid desidero, quo addito Encolpii narratio paullo alacrior evadat. Atque id quidem adsecutus esse mihi videor scriptura leniter ita refecta: „Ecce ii, qui in porticibus spatiabantur" e. q. s. Librarius cum semel „ex" pro „exe" scripsisset, sic enim „ecce" in libris Petronianis saepius scriptum est, nominativum cum ablativo non potuit non commutare. Itaque non minus in promptu est ita corrigere: „Ecce qui in porticibus", quae quidem ratio mihi magis placet, quam altera, qua „ii" pronomen male effertur.

Cap. 102, 1 Encolpius et Giton casu quodam certiores facti se in Lycae inimicissimi sibi hominis navigium incidisse varia effugiendi consilia concoquunt. Sic Encolpius inter alia haec quoque proponit: „Quin potius, inquam ego, ad temeritatem confugimus et per funem lapsi descendimus in scapham praecisoque vinculo reliqua fortunae committimus. Nec ego in hoc periculum Eumolpum arcesso. Quid enim attinet, innocentem alieno periculo imponere? Contentus sum, si nos descendentes adiuverit casus". Mirum est, quod Encolpius se contentum fore profitetur, si de navigio feliciter in scapham descenderit. Importuna sane modestia, quoniam fugae difficultas in eo potissimum versatur, ut e navis regione se occulte subducant. Accedit aliud, in quo merito offendas. Exspectamus enim, ut Encolpius se et Gitonem Eumolpo, qui cum vi quadam „innocens" dicitur, opponat, sed quod moneri vix opus est, inter „innocentem" et „descendentes" nulla prorsus oppositio intercedit. Quid multa? Scripsit Petronius: „Contentus sum, si nos nocentes adiuverit casus". Sic infra dicuntur cap. 105, 1, 2 „Attrahite ocius nocentes in medium. . . . sed quia nocentes horridos . . . habebant capillos" e. q. s. Quid autem commiserint ex narratione paullo antea misere a librariis mutilata divinare non licet nec quidquam ad rem facit.

Cap. 108, 14.

„Quis furor, exclamat, pacem convertit in arma?
Quid nostrae meruere manus? Non Troius hostis
Hac in classe vehit decepti pignus Atridae".

„Troius hostis" solus codex Messanius habet, Laurentianus atque Vaticanus perperam „heros". Sed ne „hostis" quidem ferri potest, quoniam Paris Helenam Troiam abducens non „hostis" Menelai erat. Repone: „non Troius hospes". Sic Paris adpellatur Ovid. epist. XVI, 160. Heroid. V, 126. VIII 73. Epist. XV, 301, 304. Art. amator. II, 5. II, 360. Horat. carm. III, 3, 26. Propert. II, 34, 7. Isidorus, qui Orig. II, 21, 19 primum versum ita laudat: „Quis furor, o cives" c. q. s. verba scriptoris suo arbitrio refinxisse videtur, quia his verbis praemissis „alia quae cum exclamatione proferuntur" verbum „exclamat" moleste iterare noluit. Primo versu „Quis furor, exclamat, pacem convertit in arma?" eisque quae proxime antecedunt: „Data ergo acceptaque patrio more fide protendit ramum olivae" manifesto adluditur ad versus Vergilianos Aen. VIII, 114, 15, 16 „Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis an arma? Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta, Paciferaeque manu ramum praetendit olivae". Id fugit Wouwerenum, quanquam versum 116 laudat. Porro versu primo atque secundo scriptorem respexisse puto Aen. 5, 670 sq. „Quis furor iste novus? quo nunc quo tenditis, inquit, Heu miserae cives? Non hostem inimicaque castra" c. q. s. versu septimo: „Cui non est mors una satis" Aen. IX, 140 „Sed periisse semel satis est". Vergilium in deliciis habuit Petronius, cum urbani homines, quibus partes dedit, ad verba poetae saepissime recurrant. Id exemplis demonstrabo, quorum numerus quin augeri possit non dubito. Atque Encolpius quantopere Vergilium amet vel inde conligas, quod cap. 18, 4 postquam servus quidam versus Vergilianos barbarice recitans Atellanicos versus eis immiscuit, nullum sonum unquam acidiorem percussisse aures suas queritur. „Tunc primum", adicit, „me etiam Virgilius offendit". Itaque verba eius festivo consilio orationi suae intexit, velut illud „haud mora" Vergilio frequentissimum, quo saepissime utitur, vel cap. 61, 5 illud „haec ubi dicta dedit" — cf. Aen. VI, 628. VII, 323, 471. VIII, 540. X, 633 et alibi — vel cap. 124, 2: „incidimus in turbam heredipetarum sciscitantium, quod genus hominum aut unde veniremus." cf. Aen. I, 539. VIII, 114. Neque integrum fere versum Vergilianum in carmen suum transferre dubitat cap. 127, 9 „cum se concesso iunxit amori Iupiter et toto concepit pectore flammas." cf. Aen. VII, 356 „necdum animus toto percepit pectore flammam". Insigne autem huius rationis exemplum cap. 132, 11 legitur, ubi Encolpius parodiam ludit ad verba fictam ex Vergil. Aen. VI, 469—72. IX, 436. Eclog. V, 16, id quod non fugit interpretes. Verum iocularem poetae imitationem etiam latius patere quam illi perspexerunt uno exemplo demonstrabo. Cap. 81, 3 Encolpius de Ascylti Gitonisque amicorum perfidia has querelas effundit, quarum ridiculam grandiloquentiam facile animadvertes: „Effugi iudicium, arenae imposui, hospitem occidi, ut inter audaciae nomina mendicus, exsul, in deversorio Graecae urbis iacerem desertus"? . . . . Iacent nunc amatores obligati noctibus totis et forsitan mutuis libidinibus attriti derident solitudinem meam; sed non impune. Nam aut vir ego liberque non sum aut noxio sanguine parentabo iniuriae meae". Pergit deinde narratio eius: „Haec locutus gladio latus cingor et ne infirmitas militiam perderet, largioribus cibis excito vires; mox in publicum prosilio" c. q. s. Iam conferas Aen. II, 664—672 „Hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes Eripis, ut mediis hostem in penetralibus utque Ascanium patremque meum iuxtaque Creüsam Alterum in alterius mactatos sanguine cernam? Arma, viri, ferte arma! vocat lux ultima victos. Reddite me Danais; sinite instaurata revisam Proelia! Numquam omnes hodie moriemur inulti. Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram Insertabam aptans meque extra tecta ferebam". Nonne in verbis illis Encolpii et sententiae et oratio ita progrediuntur, ut aperta Vergilii parodia repraesentetur? Si-

mili consilio etiam Eumolpus cap. 111, 11 atque 112, 2 ancillam viduae Ephesiae versibus Vergilianis vel integris vel paullulum mutatis — cf. Aen. IV, 3 4. IV, 38, 39 — cum domina conloquentem inducit atque cap. 89, ubi mirus ille poeta haud humillimi spiritus, ut ipse profitetur, Troiae Halosin versibus pandit, vel aemulatur Vergilium. De qua re conferas quae Lessingius in libro qui Laocoon inscribitur ed. Lachm. alt. VI, p. 390 sq. disputavit. Neque Trimalchio qua est urbanitate Vergilium non novit; nam cap. 39, 3 „Rogo, inquit, me putatis illa coena esse contentum, quam in theca repositorii videratis? s i c n o t u s U l i x e s?" cf. Aen. II, 44. Patet haec verba iam illa aetate in proverbium abiise, ut hodie nostrorum poetarum versus quidam omnium ore feruntur. Ceterum Eumolpus Horatium quoque ad partes vocat, a quo cap. 118, 4 illud „Odi profanum vulgus et arceo" sumit. Neque dubito, quin scriptor etiam aliorum poetarum locos, qui ad nos non pervenerunt, operi suo hic illic inseruerit. Huc refero carmen Agamemnonis rhetoris cap. 5, quod ad Lucilii exemplar compositum esse verisimile est. cf. Iahnii proleg. in Pers. pag. LVII. Porro verba „ingeniosa gula est" cap. 119 ex alio poeta petita esse ideo suspicor, quod etiam apud Martialem XIII, 62 leguntur. Quae scriptor sumere potuit ex carmine quale erant Ennii Heduphagetica. Neque errare mihi videor, si Petronium bellis illis versibus, quos cap. 34, 10 et cap. 53, 3 Trimalchionem tanquam suos recitantem facit, aequalem aliquem poetam simili ratione perstringere voluisse conicio, qua carmine de bello civili sine dubio Lucanum cavillatur. Hanc quidem de Lucano quaestionem mox absolvat Moesslerus, qui duabus perbonis commentationibus illam tractare inchoavit [1]).

Cap. 117, 9 Encolpius eiusque socii inter se conveniunt testamentorum captatores Crotonienses ita eludere, ut ex coeca eorum pecuniae cupiditate quam uberrimum fructum capiant. Itaque Eumolpo hominis praedivitis personam imponunt eique imperant, ut morbum mortiferum simulet, „ut plurimum tussiat, ut sit modo solutioris stomachi cibosque omnes palam damnet". Olim scriptum fuisse: „ut sit modo a s t r i c t i o r i s m o d o solutioris stomachi" ex verbis quae statim sequuntur adparet. Eadem ratione ab editoribus quidem frustra adhibita emendari possunt quae paullo infra leguntur: „Sedeat praeterea quotidie ad rationes tabulasque testamenti omnibus renovet". Nempe proximum est corrigere „omnibus n o m i n i b u s renovet". Eumolpus nullam mutandi testamenti causam non interponat.

1) Comment. de Petron. poëm. de bello civili. Vratislav. 1842. Quaestionum Petronian. specimen. (1858).

Cap. 126, 1 „Quo enim spectant flexae pectine comae? quo facies medicamine attrita? et oculorum quoque mollis petulantia? quo incessus tute compositus?" Post vocem „oculorum" „quoque" particula perverse posita est nec tolerari potest „tute" adverbium, cui quod Heinsius substitui voluit „scite", id sententiae quidem aptum est, sed velim propius adcedat ad scripturae vestigia. Corrigo: „et oculorum q u o mollis petulantia? quo incessus a s t u t e compositus?"

Supra vidimus nonnullos coenae locos manum correctoris prae se ferre, qui ut oratio sine offensione decurreret verbis omissis ad libitum sua substituit nec posse pristinam verborum speciem sine meliorum codicum subsidiis unquam recuperari. Quod quam maxime in eos locos cadit excerptorum libris proditos, quos iam tractandos adgrediar. Demonstrare enim conabor verba scriptoris subinde in breviorem formam redacta esse ac plane oblitteratam genuinam memoriam.

Capitis sexti initio Encolpius postquam Agamemnonem praeceptorem carmen de puerorum educatione recitantem audivit his verbis pergit: „Dum haec diligentius audio, non notavi mihi Ascylti fugam et dum in hoc dictorum aestu in hortis incedo, ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat ab extemporali declamatione nescio cuius, qui Agamemnonis suasoriam exceperat. Dum ergo

iuvenes sententias rident ordinemque totius dictionis infamant, opportune subduxi me et cursim Ascyltum persequi coepi". Ita haec verba et in editionibus exhibentur et in omnibus excerptorum libris excepto Bernensi, qui in hac parte mutilatus est. Ac primum velim adtendas „dum" particulae repetitionem valde ingratam, praesertim cum illud „dum", quo altera sententia incipit, cum „et" particula dure coniungatur. Habet quidem Tragurianus et codex quidam excerptorum Laurentianus, ex quo Iahnius paucas scripturas sibi enotavit, „cum haec" — pro „haec" vitiose „homo" — sed ne „cum" quidem aptum est et soli librarii errori tribuendum videtur. Deinde verba „dum in hoc dictorum aestu in hortis incedo" nonnulla habent, quae nemo patienter ferat. Praeterquam enim quod „in" praepositio moleste iteratur, non „incedo", sed potius „incedimus" dicendum erat, quoniam Encolpius non solus in hortis ambulat, sed cum Agamemnone praeceptore, qui aestu illo dictorum discipulum obruit, confabulatur. Sed fortasse haec verba corrupta esse mihi obicies, ac video id ipsum omnes fere editores sibi persuasisse. Qui quot qualesque suspitiones protulerint referre nolo, quoniam certo memoriae fundamento prorsus destituti operam perdiderunt. Iam enim nonnulla initio huius capitis malo librarii consilio resecta esse tibi probabo. „Dum haec diligentius audio", inquit Encolpius, „non notavi mihi Ascylti fugam" Ex quibus necessario consequitur Encolpium i a m a n t e a narrasse Ascyltum se subduxisse, quod nisi factum erat, s u b s t a n t i v o fuga uti non potuit. Iam vero cum in eis, quae antecedunt, nihil de Ascylti fuga dicatur, primam eius mentionem in ea narrationis parte, quae ante caput primum statim ab initio mutilatum periit, iniectam esse fortasse suspiceris. At eis, quae paullo post cap. 9, 11 narrantur, clare ostendi potest nusquam nisi hoc ipso capitis sexti initio, in quo versamur, fugam illam primum ab Encolpio adtingi potuisse. Encolpius enim l. l. fugam illam ita obicit Ascylto: „Subduxisti te . . . a praeceptoris colloquio"; quibus Ascyltus respondit: „Quid ego, homo stultissime, facere debui, cum fame morerer? an videlicet audirem sententias, id est[1]) vitrea fracta et somniorum interpretamenta? Multo me turpior es tu Hercule qui ut foris coenares, poetam laudasti". Poeta, quem Encolpius laudasse dicitur, Agamemnon est praeceptor eius, qui ut iam dixi, carmen de puerorum educatione cap. 5 recitavit. Id vero Encolpius laudibus excepit, ut praeceptorem, qui apud Trimalchionem parasitae partes agit, in divitum coenas comitaretur. Iam scire velim quomodo verba „non notavi mihi Ascylti f u g a m" expedias. Constat Ascyltum tunc demum fugisse, cum et carmen ab Agamemnone declamatum et laudes audiverat, quibus Encolpius praeceptori adulatus est. Quid igitur dices de substantivo „fuga" contra omnem rationem hic posito? Ac ne illud quidem „m i h i notavi" recte dictum est. Nam apud Petronium verbum „notare" vel idem valet atque 'aliquid nota adficere, insigne facere' — cf. cap. 30, 4. 79, 4. 103, 2 — vel idem atque 'animadvertere' cf. 12, 1. 27, 3. 29, 7. 33, 2. 36, 3. 67, 7. 70, 6, 12. 73, 5. 82, 2. 102, 3. 104, 2. Haec quidem significatio addito „sibi" pronomine — cf. 103, 5. 111, 6 — fortior evadit, ita ut 'sibi aliquid notare' idem valeat atque 'adtentius aliquid inspicere atque memoriae deinde imprimere', 'sich merken'. Iam vero nonne sentis male illud „mihi notavi" pro simplici verbo „notavi" positum

1) Delendum puto „id est", quod concitatae orationi parum convenit ac male conlocatum est. Eadem ratione, ut Iahnius monuit, librarius particulas „id est" primo coenae enunciato inseruit cap. 26, 7 „Venerat iam tertius dies, id est exspectatio liberae coenae." Hoc loco additae videntur ad resarciendam lacunam, ita ut hic coenae locus eis adcedat, quos eodem vitio laborare supra demonstrare conatus sum. De particulis „id est" cf. Madvig. in Cic. d. finib. p. 72, 139, 144, 264. Ritschel. apud Reifferscheid. Sueton. rel. p. 503. Simile vitium in his verbis vulgatur cap. 9, 4 „Tuus, inquit, iste frater seu comes paullo ante in conductum accucurrit" e. q. s. Verba „seu comes" „frater" vocabulo amatorio, quo scriptor saepissime utitur, — cf. 9, 2. 11, 3, 4. 13, 2. 24, 6. 25, 7. 79, 9. 80, 5, 6. 91, 2. 101, 9. 127, 2. 129, 8. 133, 1 — a librario aliquo adscripta sunt.

esse? Itaque ut summam disquisitionis meae complectar, et his orationis vitiis et inde quod capitis sexti initio laudes, quas Encolpius dedit praeceptori, desiderantur manus epitomatoris proditur.

Transeo ad alterum locum, cuius ratio prorsus eadem est. Is legitur cap. 124, 2 ubi post carmen de bello civili ab Eumolpo recitatum [1]) quae iam incipit Encolpii narratio ita vulgatur: „Cum haec Eumolpus ingenti verborum volubilitate effudisset, tandem Crotona intravimus, ubi quidem parvo deversorio refecti postero die amplioris fortunae domum quaerentes incidimus in turbam heredipetarum sciscitantium quod genus hominum aut unde veniremus. Ex praescripto ergo consilii communis exaggerata verborum volubilitate unde aut qui essemus haud dubie credentibus indicavimus. Qui statim opes suas summo cum certamine in Eumolpum congesserunt. Certatim omnes eius gratiam muneribus sollicitant". Post verbum „indicavimus" in excerptorum libris sequuntur verba „Procedentibus deinde longius" e. q. s. cap. 126, 12. Iam singula persequamur. Primum tolerari nequit illud „parvo deversorio refecti"; dicendum erat „in parvo quodam deversorio". Porro perquam languet „qui" pronomen — „qui statim" — quod si abesset, multo melior evaderet oratio. Sed talia facile huic scriptori condonabis, qui ab omni scribendi elegantia alienus tironem se prodit in narrando parum exercitatum. „Opes suas", inquit, „summo cum certamine in Eumolpum congesserunt". Iam vide quam frigide haec adiciantur:

---

1) Verba, quae huic carmini praecedunt cap. 118, 1 „Multos, inquit Eumolpus, o iuvenes, carmen decepit" turbata esse merito inde suspiceris, quod „vetus codex", ut Petrus Daniel narrat, hanc insignem discrepantiam habet: „nimirum carmen". Agnosco adnotationem librarii, qui postquam ante haec verba nonnulla omisit — atque hoc quidem vitium luce clarius est et male obtegitur nescio cuius editoris inepto additamento, cf. Burmann. ad cap. 113 — coactus erat, enunciati subiectum „carmen" adicere. Unde coniectura mihi subnascitur etiam verba „inquit Eumolpus" ad resarciendum sententiarum conexum adscripta esse.

„Certatim omnes eius gratiam muneribus sollicitant." Nemo non videt diversos gradus ardoris, quo testamentorum captatores Eumolpum adgrediuntur, permiro eique quem exspectes prorsus contrario ordine commemorari. Primum enim „summo cum certamine", deinde „certatim" Eumolpum sibi devincere student et postquam opes suas in illum cumulaverunt, subito modestos agunt ac satis habent, muneribus gratiam eius temptare, quasi haec etiam post magnum illum impetum ullius pretii essent. Apertissima vero et orationis et sententiae vitia in his verbis cumulata sunt: „exaggerata verborum volubilitate unde aut qui essemus haud dubie credentibus indicavimus". Modo enim legimus: „Cum haec Eumolpus ingenti verborum volubilitate effudisset", quae verba in omnibus excerptorum codicibus extant. Quae autem Boschius ex „tribus scriptis" promit: „ingenti verborum bile" vel codicis Leidensis scriptura a Burmanno commemorata „ingenti bile" procul dubio correctoris manu interpolata sunt. Iam quid molestius fingi potest hac repetitione „exaggerata verborum volubilitate?" Quin etiam sententia, quae his verbis efficitur, permira est, ne dicam inepta. Nam quis tandem sibi persuadeat quod necessario inde consequitur Encolpium eiusque amicos iam antea priusquam in captatores testamentorum inciderint simili linguae mobilitate usos esse? Et quomodo illud tibi placet quod locutio illa „quod genus hominum aut unde veniremus" verbis paullulum mutatis repetitur? Facile puto epitomatorem agnosces, qui vocabulorum inopia in angustias adductus quae modo legerat repetere non dubitavit. Denique durum est participium „credentibus", prorsus autem absurdum illud „haud dubie". Dicere enim voluit, qui haec omnia inepte conglutinavit: 'Crotonienses libenter, sine ulla dubitatione Encolpio crediderunt', sed infelici errore hanc sententiam adsecutus est, quam conexui narrationis prorsus repugnare quivis videt: 'Certum erat, nullis dubitationibus obnoxium Crotonienses nobis credidisse'.

Neque in eis, quae statim in editionibus sequuntur: „Dum haec magno tempore Crotone aguntur" manus epitoma-

toris non perspicua mihi videtur. Graviter enim illud „magno tempore" me offendit, quod etsi Latine dici non posse iniuria mihi primum persuasi — nam etiam Iustinus 16, 1. 42, 6 hac dictione usus est — tamen longiorem narrationis partem, quam epitomator his duobus verbis breviter complectitur, resectam esse dilucide ostendit. Mihi quidem nemo persuadebit Petronium tam aride atque exiliter narrasse quomodo festivum illud de eludendis heredipetis consilium supra cap. 117 lepide expositum Encolpio eiusque sociis successerit. Hoc recte senserunt quidem interpretes, qui ante verba: „Dum haec magno tempore" e. q. s. nonnulla intercidisse statuerunt, sed veram huius loci naturam non perspexerunt.

Fortasse autem verba scriptoris etiam aliis locis vel eadem ratione reficta atque interpolata vel nonnullis omissis simpliciter in brevius contracta sunt, sed paullo callidiore consilio, ut tristis illa memoriae conditio perspici nequeat. Haec quidem suspitio mihi movetur artificio quodam, quo usus est qui excerpta vulgata confecit. Quanquam enim plerumque sententiarum conexum prorsus neglexit, interdum tamen id sibi proposuit, ut lacunas obtegeret atque simulato quodam sententiae vinculo abrupta fragmenta inter se coniungeret. Quod uno exemplo inlustrare mihi liceat. Cap. 96, 4 post vehementissimae rixae descriptionem in excerptis uno excepto Bernensi mutilato haec leguntur: . . . „procurator insulae Bargates a coena excitatus a duobus lecticariis in mediam rixam perfertur; nam erat etiam[1]) pedibus aeger. Is ut rabiosa barbaraque voce in ebrios fugitivosque diu peroravit, respiciens ad Eumolpum: O poetarum, inquit, disertissime tu eras? et non discedunt ocius nequissimi servi manusque continent a rixa?" Multis deinde

1) Particula „etiam" non habet quo referatur; neque enim narrat Encolpius Bargatem, quem in transcursu commemorat, aliis quoque corporis vitiis laborasse. Corrigo: „nam erat iam pedibus aeger". Nimirum Bargates in convivio, a quo excitatur, nimium vino indulserat, et vinum quidem, ut Pseudulus apud Plautum monet, „pedes captat primum".

quae in plenioribus editionum excerptis leguntur omissis, in nostris narratio his verbis progreditur, quae cum ex simili rixae descriptione desumpta sint, tam apte et facile eis, quae antecedunt adnectuntur, ut primo obtutu vix animadvertere possis haud pauca hoc loco deesse, — his igitur verbis pergit cap. 108, 12 „Stante ergo utraque acie cum appareret futurum (non tralatitium) bellum, aegre expugnavit gubernator, ut caduceatoris more Tryphaena inducias faceret". Iam vero nonne fieri potuit, ut idem excerpendi consilium, quo facillime decipias, saepius adhiberetur?[1])

Horum quos modo tractavimus locorum ratio ita comparata est, ut verba scriptoris ab eis, quae aliena manus in orationem inculcavit, non queas segregare. Neque tamen in hoc scriptore, cuius memoria gravissimas sane iniurias experta est, tales loci desunt, in quibus interpolatio certis finibus circumscribi possit. Insigne huius fraudis exemplum cap. 128, 6 extat, ubi Encolpius: „Ego contra", inquit, „damnatus et quasi quodam visu in horrorem perductus interrogare animum coepi an vera voluptate fraudatus essem.

Nocte soporifera veluti cum somnia ludunt
Errantes oculos effossaque protulit aurum
In lucem tellus, versat manus improba furtum
Thesaurosque rapit, sudor quoque perluit ora,

1) Non possum hoc loco singularem quandam adnotationem marginalem a viris doctis fere neglectam non commemorare, qua diversos Petronii locos aliquo communis sententiae vinculo coniunctos a librariis comparatos esse indicari mihi videtur. Verbis scilicet cap. 131, 11 „Rogo, inquam ego, potius quam tentas" e. q. s. in editione Pithoeana aliisque haec glossa adposita est: „Encolpius de Endymione puero." Quae cum prorsus obscura sit — nihil enim ad rem pertinet nec usquam in reliquiis Petronianis, quae aetatem tulerunt, puer ille Endymion commemoratur — Gonsalio „sublestae fidei" videbatur, iniuria meo iudicio; parum enim probabile est adnotationem illam, quae quid sibi velit nemo intellegit, sine ulla causa prorsus ad libitum fictam esse. Contra nullus dubito, quin librarius aliquis, qui plenius Petronii exemplar habuit, propter argumenti similitudinem illam adscripserit.

Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum
Excutiat gremium secreti conscius auri.
Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem
Veraque forma redit, animus quod perdidit optat
Atque in praeterita se totus imagine versat".

Hi versus in omnibus excerptorum libris feruntur quales exhibui, nisi quod Messanius atque Vaticanus post versum quintum hunc versum intercalatum habent, quo sententiarum conexus mirum in modum turbatur: „Candidiorque dies secreto favit amori". Is in editionibus legitur in fine carminis „Idaeo quales fudit" c. q. s. cap. 127, 9, quo ut videtur ab editoribus transpositus est. Sed velim mirum illum comparativum „candidior" explicassent. Haud dubie hic versus satis ineptus ab interpolatore quodam in fine carminis „Idaeo quales" c. q. s. cap. 127, 9 adscriptus erat, unde facili errore in hunc locum transferri potuit, cum in excerptis haec duo carmina se proxime adtingant paucis tantum verbis interiectis.

Iam persequar quae in versibus illis supra perscriptis mihi displicuerunt. Atque ut a levioribus incipiam, poetam inopia quadam vocabulorum laborare eo adparet quod bis v. 5 et 7 voce „mens" parum eleganter utitur atque in tam brevi carmine vocabula „aurum" et „versat" repetit v. 2, 6. 3, 9. Praeterea v. 1 „ludere", v. 7 „eludere" invenitur, sed haec omnia premere nolo, ne iniquius contra poetam agere videar. Qui quidem eo vel laudandus est, quod alibi eiusmodi repetitiones evitare ac varietatem quandam verborum efficere studuit, quanquam in hoc artificio se parum sollertem praestitit. Nimirum quod tribus versibus se excipientibus — 2, 3, 4 — inventum illud, quo homo somnio agitatus potiri studet, tribus diversis vocabulis: „aurum, furtum, thesauros" significatur, id profecto molestissimum est atque ab omni sermonis elegantia abhorret. Accedit, quod mirus ille pluralis numerus „thesaurosque" explicari nequit. Obscure autem atque contorte loquitur poeta v. 8; nempe substantivo „forma" necessario genitivus aliquis velut 'rerum' addendus erat. Neque tamen miror talia poetae accidisse. Omnino enim

tumide et adfectate loquitur nec ullum simplicitatis sensum habet, id quod ne longus fiam significabo magis quam exponam. Inspicias quaeso carminis exordium, ubi eo quod errantes oculos dicit nocte somniis ludi ipse artificiosius ludit, vel versum 5 et 6, quibus nihil fere continetur nisi ridiculae ampullae. Atque hoc ipso studio, quo solum grandem verborum sonitum captavit, factum est, ut sententias neglegeret ac pueriliter peccaret. Primum enim tolerari nequit tempus perfectum „protulit" v. 2, insignius vitium, cum ceteris versibus recte praesens ponatur. Deinde quid v. 4 „quoque" particula sibi velit, nemo expediat, cum solus sudor dicatur ora perluisse nec quidquam antecedat, quo particula illa referri possit. Sed fortasse interpolator sententiam illam „sudor perluit ora" cum eis quae antecedunt nova aliqua ratione haud incommode coniunxisse sibi visus est. Vide modo quam belle singulas sententias inter se conectat. Primum perticula „que" utitur, — „effossaque" — deinde copulam omittit — „versat" — tum rursus ad „que" particulam recurrit — „thesaurosque" — iam mirum illud „quoque" inserit, ultimam denique sententiam „et" particula adnectit — „et mentem timor" c. q. s. His omnibus, quae peccavit poeta, illud denique accedit, quod tam egregium sententiarum ordinem instituit, ut primum de sudore, quo somnians manat, deinde de timore eius loquatur.

Quae cum ita sint, haud temere statuere mihi videor Petronio, quem bonum esse poetam ne acerrimus quidem existimator negabit, hoc carmen esse abiudicandum. Sed ne minima de hac re dubitatio tibi relinquatur, iam demonstrabo, quo argumento res conficitur, poetam opus suum ex locis Petronianis hinc illinc adreptis consarcinasse, ita ut aperta fraudis vestigia persequi possis. Verba enim „protulit aurum in lucem tellus" atque „sudor perluit ora" manifesto desumpta sunt ex carmine de bello civili cap. 120, quod propter tumorem et adfectationem ingenio Eumolpi sane dignissimam prae ceteris videtur versificatori placuisse: „Iam pridem nullo perfundimus ora cruore Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus, ex

quo Sullanus bibit ensis, horrida tellus Extulit in lucem nutritas sanguine fruges". Verba „thesaurosque rapit", in quibus numerum pluralem offensioni esse supra significavimus, ex eodem carmine mutuatus est cap. 124 „Non frangis portas? non muris oppida solvis? Thesaurosque rapis? nescis tu, Magne, tueri" e. q. s. Versus denique „Mox ubi fugerunt elusam gaudia mentem Veraque forma redit" e. q. s. eos conferas velim cum his versibus cap. 80, 9, quos imitandos sibi proposuit versificator: „Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur, Filius hic, nomen divitis ille tenet. Mox ubi ridendas inclusit pagina partes, Vera redit facies, assimulata perit". Huic ineptae interpolationi ansam dedisse videntur verba illa, quae in plenioribus editionum exerptis proxime praecedunt: „Ego contra damnatus et quasi quodam visu in horrorem perductus" e. q. s.[1])

Similem ingenii lusum Petronio obtrusum cap. 134, 12

---

1) Hi versus, quos subditicios esse demonstravi, nonnulla communia habent cum carmine quodam de somniis a Bourdelotio cap. 104, 4 inserto, quod in disceptationem vocare nolui huic aliisque editoribus nimis fortasse diffisus. Iam vero opportune accidit, quod fidem eorum confirmare mihi licuit; Iahnius enim mecum communicat Th. Mommsenum carmen illud addito Petronii nomine in codice Leidensi Vossiano Lat. Fol. 111 invenissse. Itaque quae in eo similitudinem quandam referunt cum spuriis illis versibus adicere iuvabit. Compares igitur versum primum: „Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris" cum versu primo alterius carminis: „Nocte soporifera veluti cum somnia ludunt", versum 11 „Condit avarus opes defossumque invenit aurum cum versu primo et tertio „effossaque protulit aurum in lucem tellus". Ceterum interpolatorem hoc carmen respexisse minime certum est, immo facile fieri potuit, ut inverso ordine huius auctor illum sequeretur. Nam hoc quoque de somniis carmen, cuius ultimum versum iam C. Barthius, advers. LI, 3 ut interpolatum notavit, ab inepto aliquo nebulone confectum est. Atque ex simili officina etiam tertium eiusdem argumenti carmen — cf. Burmann. edit. II, 2, p. 877 — ad Lucretii exemplar compositum prodiit, quod in eodem codice Vossiano Petronii nomen prae se ferre Mommsenus testatur. Haec accurate exponere longum est.

deprehendi. Ubi saga quaedam, quae Encolpio aegrotanti sanitatem restituere promisit, prodigiosam suam potestatem his versibus describit in omnes excerptorum libros relatis:

„Quidquid in orbe vides, paret mihi. Florida tellus
Cum volo spissatis arescit languida sulcis,
Cum volo fundit opes scopulis, atque horrida saxa
Niliacas iaculantur aquas. Mihi pontus inertes
Submittet fluctus, zephyrique tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes. Mihi flumina parent,
Hyrcanaeque tigres et iussi stare dracones.
Quid leviora loquor? Lunae descendit imago
Carminibus deducta meis, trepidusque furentes
Flectere Phoebus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quiescit
Virgineis exstincta sacris, Phoebeia Circe
Carminibus magicis socios mutavit Ulixis,
Proteus esse solet quidquid libet. His ego callens
Artibus Idaeos frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluvios in summo vertice ponam".

Ut statim dicam quid in hoc carmine me offenderit, sex versus postremi tot tantisque et orationis et sententiae vitiis scatent, ut de interpolatoris fraude dubitari nequeat. Sed singula accuratius examinabo atque initium quidem capiam ab observatione quadam grammatica. Miracula scilicet, quae saga carminibus magicis se efficere posse profitetur, primis decem versibus praesenti tempore ponuntur, id quod arroganti eius fiduciae aptissimum esse nemo non sentit. At in postremis versibus tempora mirum in modum confunduntur. Ut ordiamur ab ultimis versibus nemo coniectura adsequatur quid tandem commoverit poetam, ut „sistam" et „ponam" scriberet. Nam sive praesens voluerit sive futurum, neutrum probari potest. Praesentis enim coniunctivus a mulieris fiducia prorsus abhorreret, futurum ineptum evaderet, quod hoc ipso quo saga loquitur momento minime de rebus illis agitur, quas tangit his versibus; nam, ut iam dixi, medicatura est aegro Encolpio. Ac quid de eo dices, quod ultimo versui sententia inest iam v. 6 verbis „mihi flumina parent" prolata? Haec repe-

titio insuper mirum in modum expressa est eoque gravius mihi displicet, quod saga v. 8 verbis „quid leviora loquor“ se iam gravissima narraturam esse significavit. Sed video me evagatum esse a disquisitione illa, quam coepimus de temporum confusione instituere. Quae admodum conspicua est v. 14 in verbis „Proteus esse solet quidquid libet“. Profecto dici vix potest quam per se ineptum sit vocabulum „solet“. Atque quod primo impetu inde conieci „valet“ mox rursus abieci. Nam ut taceam hac coniectura ingratam repetitionem inferri, — paullo enim antea idem vocabulum usurpatur — quidquid temptabis, nullis machinis praesentia tempora „solet“ et „libet“ perquam molesta unquam removebis. Sed fortasse dices haec ipsa tempora concitatae portentorum descriptioni aptissima esse idque poetam eis efficere voluisse, ut Proteus tanquam vivus produceretur. Audio, at quomodo cum hac ratione conveniet, quod saga de Circe perfecto tempore loquitur v. 13 „Carminibus magicis socios m u t a v i t Ulixis“, de Medea rursus praesenti tempore v. 11 „taurorum flamma q u i e s c i t virgineis exstincta sacris?“ Fatendum tibi erit poetam inde a v. 11 in eligendis temporibus nullum prorsus consilium secutum esse ac mirum in modum fluctuare [1]). Huic orationis vitio alterum adcedit, levius quidem, sed haud indignum, quod adnotetur. Vulgari enim usui repugnat singularis numerus v. 11 „Taurorum f l a m m a quiescit;“ pluralem ponere debebat poeta. cf. Ovid. Metamorph. VIII, 210 „Vos mihi t a u r o r u m f l a m m a s hebetastis“. Horat. epod. V, 25. Denique, ut Iahnius monuit, illud mire expressum est v. 11 „Tantum d i c t a valent“. Cum hoc corrupto scribendi genere, quo utitur versificator, singularem ac paene quaesitam ob-

1) Delrio ad Claudian. I in Rufin. 154 hos versus exhibet „multis locis veteris libri comparatione restitutos“. Sic versum 3 talem prodit: „Cum volo, f u n d a t aquas“ e. q s. versum 11: „Tantum dicta valent, taurorem u t flamma q u i e s c a t, versum 13: socios m u t a r i t Ulixis. Nisi multum fallor, hae ineptae discrepantiae sola coniectura nituntur. Tres ultimos versus cur ille omiserit nescio.

scuritatem coniungit. Mirum enim est, quod Iahnius significavit, quod v. 12 Medea „s a c r i s“ tauros placasse dicitur nec minus mirum, quod saga v. 15 „I d a e o s frutices“ prae ceteris amare videtur. Atque hoc quidem plantarum genus plane novum iam dudum editoribus summo iure suspectum erat, sed cum de indole horum versuum non recte iudicarent, fieri non potuit, quin frusta ingenia torquerent. Sed nondum omnia percensuimus, quibus fides horum versuum impugnari possit. Nam, quod summum est, cur tandem Medea, Circe, Proteus commemorantur? Nonne quae poeta de illis narrat prorsus aliena sunt a consilio huius carminis, quo saga suam ipsius potestatem adumbrare sibi proponit? Haec omnia si reputaveris, non puto dubitabis sex ultimis versibus eiectis carmini, quod tum demum gravissimae rei commemoratione ultimo loco posita apte concluditur, pristinum nitorem restituere.

Restat, ut pauca de eis moneam, quae interpolator aliunde in usum suum convertit. Atque in ultimis versibus fortasse memor erat huius versus cap. 127, 9 „I d a e o qualcs fudit de v e r t i c e flores“. Porro adpellatio „Phoebeia“, quam Circi tribuit v. 12, lectori in animum revocat, quae Circe Encolpii amica cap. 127, 6 loquitur: „Ita, inquit, non dixit tibi ancilla mea, C i r c e n me vocari? Non sum quidem s o l i s p r o g e n i e s“ e. q. s. Sed imitatio haud ita perspicua est neque per se probabile videtur interpolatorem ad hos Petronii locos refugisse; nam etiam alias res commemorat, quarum notitiam non potuit ex Petronio haurire. Itaque inepto illi versificatori, quem supra perstrinximus, hos versus non tribuam. Contra in oculos incurrit similitudo, quae inter versum 13 et versum Vergilianum intercedit iam ab editoribus in comparationem vocatum Eclog. VIII, 70 „Carminibus Circe socios mutavit Ulixi“. Iam vero cum idem versus Vergilianus etiam parieti Pompeianae inscriptus sit, — cf. Inscript. Pomp. ed. Wordsworth p. 4. — Iahnius hunc versum iam antiquo tempore in proverbii speciem abiisse atque ita interpolatori innotuisse suspicatus est. Inde igitur consequatur hos versus ex antiquiore aetate repetendos esse. Atque iam

speravi fore ut haec coniectura veteris scriptoris testimonio confirmetur, cum apud Gruppium in libro, quem „Minos“ inscripsit, haec legi p. 541: „Noch giebt Macrob. Somn. I, 2, 8 an, dass man den Petronius und Apuleius mit Geschichten bereichert habe; an sich selbst schon wahrscheinlich“. Sed spes me prorsus fefellit. Nimirum vir ingeniosus quem laudat Macrobii locum festinantius inspexit; nam ibi de eis, quae narrat, ne verbum quidem legitur [1]). Attamen quidquid de aetate huius interpolationis statuas, cui quid ansam dederit frustra quaeras, id constat eam ut alteram illam haud noviciam esse, cum libro Bernensi saeculi decimi exhibeantur. Ut vero diversa illa excerptorum exempla, ita etiam haec duo insignia additamenta Petronio supposita hunc scriptorem diu atque frequenter esse lectitatum perspicue demonstrant.

Glossaria illa in commentario Petri Danielis commemorata, quae supra tetigi, insignia habent antiquioris memoriae vestigia neque indigna sunt, quae in bibliotheca Leidensi, nam ibi fortasse inter alios huius generis thesauros sepulta iacent, investigentur atque accuratius excutiantur. Satis enim habuit Petrus Daniel in transcursu nec satis ut videtur distinctis nominibus illa adtingere more illius aetatis, quae in his rebus parum accurata erat. Ceterum haud inutile erit, duas glossas ab illo prolatas subicere, in quibus notabilia testimonia posita sunt ad titulum operis Petroniani spectantia. Cui quod vulgo inscribitur „Satyricon“, quod Burmannus similibus titulis velut Ovidii Metamorphoseon libris in comparationem vocatis parum apte defendit, id non ab ipso scriptore, sed ab aliis derivandum esse iam

1) Macrobii verba haec sunt: „Auditum mulcent velut comoediae quales Menander eiusve imitatores agendas dederunt vel argumenta fictis casibus amatorum referta, quibus vel multum se Arbiter exercuit vel Apuleium nonnunquam lusisse miramur“.

Casaubonus de satyr. poes. II, 4 recte puto perspexit. Sed ne ipse quidem verum titulum adsecutus est. Nam illud „Saturicum“ sive „Satiricum“, quod operi olim inscriptum fuisse putat, „quomodo commentarium dicatur pro commentario libro, Apolegeticus pro Apologetico libro“ antiquis testimoniis quantum scio non proditur ac vereor, ut ullo exemplo ex litteris Latinis petito defendi possit. Fuit autem ni fallor genuinus titulus vere Romanus „Satirarum“ sive „Saturarum libri“. Qui quam apte indoli operis ad modum Varronis saturarum compositi, ut iam Casaubonus significavit, conveniat, fortasse alio loco demonstrare mihi licebit; nunc satis habeo, vetusta huius tituli testimonia proponere adiectis eis, quae ad alterum vulgatum pertinent. Atque Petrus Daniel ad verba cap. 1, 1 „num alio genere“ e. q. s. haec adnotavit „ex vet. grammatico“: „Contra delicatos lectores. Petronius in primo (?) Satyrarum et Persius in illa Satyra: „Nempe hoc“ e. q. s. Porro verbis cap. 88, 4 „Eudoxus quidem in cacumine“ e. q. s. hanc glossam ex „vet. Lexico“ adscripsit: „Excelsissimus dicitur a Petronio in primo (?) Satyrarum. [1])“ Huic glossarum memoriae adicienda est codicis Parisini numero 8049 insigniti qui vulgata excerpta continet inscriptio, enotata illa ab Henrico Keilio: „Pet(o)nii arbit(i) satirar ť incipit“. Neque in aliis libris, quorum notitiam habui, obscura huius tituli vestigia desunt. Traguriani enim excerptorum inscriptio haec est: „Petronii Arbitri Satyri fragmenta ex libro quinto decimo et sexto decimo“ atque eadem continet excerptorum subscriptio. Iam etsi „Satyri“ nomen nihil nisi mediae aetatis morem refert, tamen ad „Saturarum libros“ eo ducimur, quod opus per libros distributum fuisse utroque testimonio indicatur. Quod quidem praeter glossas illas supra perscriptas etiam glossa quaedam veteris lexici S. Benedicti Floriacensis confirmat, qua verba cap. 89, 1 „Sed video te totum in illa haerere

1) Suspicor pro „in I Satyrarum“ reponendum esse „in ť — id est in libro — „Satyrarum“.

tabula“ ex libro XV Petronii Arbitri laudari idem Daniel narrat. Transeo ad ea testimonia, quibus titulus „Satyricon“ traditur. Is in solo Bernensi — inscriptus est „Petronii Arbitri Satyricon“ — ita exaratus extat, ut nulla de testimonii integritate suspitio externis indiciis moveatur. Sed aliter res se habet in Messanio atque Laurentiano. Illius enim subscriptio hanc speciem habet: „Petronius. Satyricon.
Arbiter. Feliciter.
Explicit“.

huius et inscriptionem et subscriptionem talem enotatam
foeliciter explicit
inveni: „Petronius Arbiter Satyricon incipit foeliciter“. Iam vero nonne mirus ille nominativus „Petronius Arbiter“ duas diversas manus prodit, quarum altera illud „Satyricon“ postea addidit? Quanquam etiam Vaticani inscriptio tale duplicis memoriae vestigium habet, quod ad alterum titulum spectat: „Petronius Arbiter liber incipit“.

Idem liber Parisinus, quem modo commemoravi, hanc miram adnotationem marginalem habet primo excerptorum versui eadem manu adscriptam: „P^{o}etnii arbit^{i} affranii Satirici lib. incipit“. Nomen Afranii, quod etiam in aliis libris Petronio tribui editores referunt, merum librariorum inventum mihi videtur, cuius ansam fortasse dedit locus scriptoris media aetate multum lectitati, Quintilianum dico, qui institut. orat. X, 1, 100 de Afranio togatarum scriptore: „Utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus“. Quod quoniam non minus de opere Petroniano valet, proximum sane erat librario, cui verba illa nota erant, nomen Afranii ad Petronium transferre. Haec coniectura eo stabilitur, quod similes nominum translationes eodem fere modo explicandae etiam aliis scriptoribus acciderunt. Sic Persius in nonnullis codicibus „Persius Lucillius“ adpellatur, Calpurnius eclogarum scriptor „Theocritus Calphurnius“. cf. Iahn. proleg. in Pers. p. XXXI. M. Haupt. de carm. bucol. Calpurn. et Nemesian. diss. p. 15. Quid, quod simili ratione Petronius etiam alterum nomen accepit; nam quod ille iam apud grammaticos Arbiter vocatur, id ex Tacit. annal. XVI, 18 repetendum

esse, ubi „elegantiae arbiter“ vocatur, viri docti iam dudum intellexerunt.

Nec magis quam ille Petronius Afranius unquam fuit Publius Petronius rhetor, qui in editionibus fertur. Isidorus enim Orig. V, 26, 7 de doli notione disputans Petronium quendam ita laudat: „Dolus est mentis calliditas ab eo quod deludit. Aliud enim agit et aliud simulat. Petronius aliter existimabat dicens: „Quid est iudices dolus? Nimirum ubi aliquid dolet legi. Habetis dolum, accipite nunc malum“. Hunc igitur Petronium editores plane suo arbitratu et Publium adpellant et rhetorem faciunt, Otto vero quis ille fuerit in incerto relinquit. Sed ut quid nos cogat verba illa alii Petronio atque ei tribuere, in cuius reliquiis versamur, tantum abest, ut proxime ad probabilitatem adcedat hunc ipsum esse, quem Isidorus compilavit. Quin etiam de sententiarum conexu, quo verba illa olim posita fuerunt in opere Petroniano, fortasse aliquid suspicari licet. Nam nisi fallor, orator ille primum tecte perstringit iudices, quos adloquitur, verbis autem „accipite nunc malum“ festivae conversioni proludit, qua ipse iudices ex improviso dolo malo opprimere ac rem ad manum revocare coepit. Sed ut ut haec sunt, certe per se nihil est, quod haec verba in Petronii saturis olim locum habuisse negemus. Iam vero Isidorum bene novisse Petronium inde intellegitur, quod non solum versum quendam eius laudat Orig. II, 21, 19, sed etiam coenae cap. 50, 51 in usum suum convertit Orig. XVI, 20, 4. XVI, 6, 1 fontis unde hausit vestigiis servatis. In hac re parum caute versatus est. Nam accidit viro doctissimo, ut priore loco, quo de aere Corinthio agitur, lepidum specimen reconditioris illius eruditionis, qua Trimalchio excellit, bona fide nec ullo scrupulo significato commentariis suis insereret. Quid igitur probabilius est, quam Isidorum ex hoc ipso scriptore, cuius auctoritatem mira superstitione secutus est, verba supra perscripta hausisse?

Denique Petronium quendam, qui in nonnullis editionibus Indicus adpellatur, paucis adtingam Cui epigramma de psittaco tribuitur, quod ita incipit: „Indica purpureo genuit me littore tellus, c. q. s. Profecto singulari

casu factum est, quod hoc unum Petronii Indici carmen nobis servatum de Indico psittaco agit. Verum de hoc Petronio quidquam decernere nolo; feruntur enim versus eius in vasta illa carminum farragine vulgatis editionibus adiecta, qua quidquid diversi Petronii unquam luserunt sine certa librorum fide continetur.

VITA GVILELMI WEHLE.

Natus sum Arnisii pago Slesvicensi anno huius saeculi XXXIII patre Petro Christiano matre Margaretha Dorothea e gente Rehhoffiana, quorum illo ante hos septem annos orbatus sum, hanc superstitem veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum initiis imbutus anno MDCCCXLVIIII gymnasium adii Slesvicense, unde auctumno anni MDCCCLIII rite dimissus me contuli in universitatem Havniensem studiis theologicis operam daturus. Mox taedio captus theologiae Madvigii scholis commotus sum ut ad litteras philologicas me transferrem, simul autem constitui peregrinam universitatem relinquere. Itaque anni MDCCCLIIII aestate domum reversus eiusdem anni auctumno universitatem Rhenanam adii. Postquam igitur in hac academia per quadriennium studiis philologicis operam navavi, propter valetudinem annum domi degi, unde Bonnam redii, ut studia mea absolverem.

Per quadriennium igitur scholas frequentavi virorum clarissimorum Brunnii, Buecheleri, Dahlmanni, Iahnii, Loebellii, Monnardii, Ritschelii, Schopeni, Welckeri. Praeterea Welckeri et Ritschelii benevolentia receptus sum in seminarium philologicum, cuius sodalis ordinarius fui per annum et dimidium; ex quo instituto uberrimos fructus percepi. Omnes quidem praeceptores me sibi obstrinxisse grato animo profiteor; prae ceteris autem mihi colendus est Otto Iahnius, cui nunquam potero debitam gratiam referre.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Senec. lud. de mort. Claud. cap. 6 interpolata sunt verba „Iusserat illi collum praecidi“, cap. 11 ante versum Catulli verba „ad inferos“.

II. In eadem satura cap. 10 ita corrigendum est: „Tam facile homines occidebat, quam canis e i e x c i d i t“ vel „canis e i a c c i d i t.“

III. Sophoclis Trachin. versum 145 male a librariis refictum sic emendaverim: *χώροις ἵν' αὐτοῦ π α ί γ μ α τ' οὐ θάλπος θεοῦ.*

IIII. In eiusdem Philocteta Neoptolemi oratio post versum 425 interrumpitur.

V. Apud Plutarchum quaest. Roman. 90 talem orationis formam desidero: *Καὶ γὰρ ὁ Ὄ ρ θ ο ς αὐτῷ [ἀεὶ] πολλὰ πράγματα παρέσχε καὶ ὁ Κέρβερος* e. q. s.

VI. Varroni apud Nonium s. v. „lusio“ restituendum est: „hi pusilli p i g r i, qui spectant nundinas“ e. q. s.

VII. Apud Priscianum p. 494 suspicor scribendum esse „Plautus in T r i p a r c o.“

VIII. Donat. ad Terent. Eunuch. IIII, 4, 22 in scriptura libri Lindenbruchiani „Edesionium“ latere videtur „S u e t o n i u m“.

VIIII. Senec. pag. 20, 12 ed. Burs. manca oratio ita reconcinnanda est: „peti H e l e n a m, impendi Iphigeniam.“

X. Apud Petronium non desunt, quae ad rempublicam ironice adludant.

XI. Senecae quae feruntur epigrammata spuria sunt.

XII. Flos enarrationis emendatio est.
